HISTORIAE HUNGARICAE FONTES DOMESTICI.

Vita Sanctorum

STEPHANI REGIS

ET

EMERICI DUCIS.

Ad fidem codicum seculi XII, XIII, et XV-i recensuit, nonnulla eiusdem aetatis monumenta, disquisitionesque criticas adiecit

M. FLORIANUS.

LIPSIAE 1881.
IN COMMISSIS APUD F. A. BROCKHAUS BIBLIOPOLAM.

HISTORIAE HUNGARICAE

FONTES DOMESTICI.

PARS PRIMA.

SCRIPTORES.

VITA SANCTORUM

STEPHANI REGIS

ET

EMERICI DUCIS.

AD FIDEM CODICUM SECULI XII, XIII, ET XV-I RECENSUIT, NONNULLA EIUSDEM AETATIS MONUMENTA, DISQUISITIONESQUE CRITICAS ADIECIT

M. FLORIANUS.

LIPSIAE 1881.

IN COMMISSIS APUD F. A. BROCKHAUS BIBLIOPOLAM.

PRAEFATIO.

Fontes historiae hungaricae domesticos constituunt: I. Scriptores rerum hungaricarum, II. praeter alias antiquitatis reliquias Monumenta diplomatica et politica, praecipue seculi XI, XII et XIII-i.

Nos hoc volumine scriptorum antiquissimos proferemus, qui memoriam sanctorum Stephani et Emerici posteris prodiderunt.

Hi sunt anonymi tres; quorum duo gesta sancti regis, tertius vitam Emerici ducis perscripserunt. Quartus est Hartvicus vel Cartvicus, qui Legendas S. Stephani regis in unum conflatas et interpolatas postremo in lucem protulit.

Biographorum sancti regis prior Legendam eius minorem, posterior maiorem confecit. Opus illius integrum, huius extrema parte mutilum superest in duobus duntaxat diversae aetatis codicibus. Hartvici codicum magna suppetit copia.

Praeter has tres sancti regis biographias, alia supparis aetatis nondum comparuit. „Authenticae librorum scripturae,“ quas auctor Legendae minoris in prologo commemorat, habuerint pauca ea, quae in codice Warsawiensi, Sermonibus Pelbarti et nonnullis Chronicis nova de sancto rege praedicantur.

Tribus his Legendis subiunguntur: Excerpta e codice Warsawiensi de vita S. Stephani regis; Transumta Capitulorum Albensis, Vaciensis, et Strigoniensis; Excerpta e Sermonibus Pelbarti oratoris sacri sub finem seculi XV-i; Lectiones et carmina e Breviario et Missali eiusdem seculi depromta; Excerpta denique e Vita S. Adalberti martyris, — quae ad illustrandam sancti regis historiam conducere videbantur.

Adduximus porro monumenta quaedam literaria, initio regiminis S. Stephani, ut fama fert, confecta: Epistolam nempe Silvestri II. pontificis ad Stephanum datam, et Privilegium eiusdem regis monasterio S. Martini supra Pannoniam sito concessum. Quibus adnectendum duximus: Opus ipsi S. Stephano tributum, de institutione morum ad filium Emericum; et Leges eiusdem sancti regis.

Leges has consequitur Vita S. Emerici ducis, quam illustrant excerpta e sermonibus Pelbarti, Lectionesque et carmina e Breviario et missali seculi XV-i descripta.

Disquisitiones nostras criticas de contextu aetate et fide codicum supra laudatorum, de auctore demum libelli ad Emericum ducem nomine patris scripti, in illorum gratiam adiecimus, qui historiam hungaricam, inscitia partim scriptorum fabulis scatentem, partim data opera depravatam, ad veritatis regulam conformare, et nativo suo nitori restituere conabuntur.

Parum quidem est quod in hac parte praestitimus; sed si primis hisce conatibus excitati doctiores plura et meliora repererint, in hoc investigandi et perscrutandi negotio nos non plane frustra fuisse arbitrabimur.

Restat ut de apparatu literario, quo in hac editione adornanda usi sumus, pauca dicamus.

I. II. Manu scriptum exemplar utriusque Legendae S. regis monasterii S. Crucis in Austria O. Cisterciensis diligenter inspeximus, et cum editis doctorum virorum Endlicher et Wattenbach contulimus. Codicis Mellicensis editione anni 1781. usi sumus, quam satis accuratam fnisse, per editorem Antonium Mancini, in praefatione libro praefixa docemur.*) Contextum et divisionem in capita dedimus ipsius codicis Sancrucensis. Varias lectiones adposuimus supra laudatarum editionum, codicis Pestiensis, et ceterorum Hartvicianorum, ubi consentiunt. Subdivisionem in paragraphos ex editione Endlicheriana adoptavimus.

III. Codicum Hartvici optimus et vetustissimus est Pestiensis Musei Nat. Hungarici, olim Francofurtanus; cuius contextum cum suis mendis et repetitionibus expressimus. Addidimus scripturae huius codicis specimen lithographicum.

---

*) Titulus libri: Primi Hungarorum regis apostolici S. Stephani vita e pervetusto codice MS. celeberrimi monasterii Mellicensis excerpta. Posonii. 1781. pp. 56. In praefatione: „Non scribendi modo rationem, sed ipsas quoque interpunctiones ac menda MS-i in codice occurrentia retinere studui, ut ea mihi a Cl. P. Beda Schuster O. S. B. ex authentico submissa fuerunt; quae correcturus eram, nisi codicis auctoritati integre consultum voluissem.“

Fragmenta codicis Warsawiensis et Vitae S. Adalberti partim ex editione Pertziana, partim e Bielowskii Tomo I-mo Monumentorum Poloniae; — Transumta Capitulorum de decimis, ex ipsis autographis; — Excerpta vero e Sermonibus Pelbarti, Lectiones denique et carmina ex editis seculi XV-i et XVI-i descripsimus.

Omnes codicum vitam S. Stephani continentium varias lectiones his siglis consignavimus.

Cors. Codex bibliothecae Canoniae Praemonstr. de Corsendonk in Brabantia, ex editione Georgii Pray. a. 1771.

Cr. Editio Cracoviensis Legendae sanctorum in Lombardica historia non contentae. 1511.

E. Endlicher. Rer. hungaricar. Monumenta Arpadiana. Sangalli. 1849.

H. Omnes codices Hartviciani.

L. Cod. Lunaelacensis bibl. Caes. Vindob. sec. XV-i n-o 3662. signatus.

M. Cod. bibl. monasterii Mellicensis in Austria, sec. XV-i. Edidit Antonius Mancini Posonii. 1781.

P. Cod. Pestiensis Musei N. Hungarici, sec. XIII-i.

R. Cod. monasterii Runensis in Stiria, sec. XIII-i. n-o 69. signatus.

S. Cod. monast. Sancrucensis in Austria, sec. XII-i.

T. Cod. Tegernsensis bibl. regiae Monacensis sec. XV-i n-o 18,624 signatus.

V. Cod. Vindobonensis bibl. Caesareae sec. XIV-i n-o 832. signatus.

W. Editio doctissimi viri Wattenbachii apud Pertz SS. XIII. pp. 222. et sqq. Ubi vero nulla litera ponitur H. intelligitur.

IV. In Epistola Silvestri II-i italicis literis scripsimus ea, quae acerrimi etiam authentiae propugnatores interpolata esse concedunt.

V. Privilegium regium anni 1001. ex ipso autographo descripsimus, lineas numeris signantes. Variae huius diplomatis lectiones: Numero 2. ex apographo monasterii S. Martini, anni ut videtur 1239, in libro dicto rubro. 3. E transumto Andreae regis anni 1213. 4. E transumto Innocentii et Honori III. pontificum. 5. E transumto Gregorii IX-i sunt adscriptae.

VI. Institutionis morum ad Emericum ducem contextūs e codice chartaceo sec. XV-i n-o 3455. rec. 1125. biblioth. Caes. Vindobonensis est expressus, cum variis lectionibus codicis Kollariani deperditi, quem describi curaverat atque ediderat Ill. episcopus Ignatius de Batthyány Legg. eccl. T. II. pp. 48. sqq. Varias porro praebet lectiones editio Sambuci anni 1581. ad calcem Historiarum Bonfinii. Literis K. et S. signantur ita, ut ubi litera non ponitur Sambuci editio intelligatur.

VII. Legum S. Stephani regis libros duos dedimus e codice Admontensi; cuius fide dignum exemplar Pestini in bibliotheca Academiae Sc. Hungaricae constat foliis octo, signaturque numero inter codices latinos 24. Varias lectiones adposuimus e codice Kollariano deperdito, olim bibliothecae. Caes. Vindobonensis, n-o 414. signato, in cuius extrema pagina haec legebantur: „Anno domini MCCCCVI. die XVII. mensis Aprilis completus est iste liber rationalis ad gloriam Dei et mandatum domini Magistri Iohannis de Buda, Canonici ecclesiae Strigoniensis et archidiaconi Borsiensis.“ Leges hac in editione Batthyaniana II. pp. 54—68. leguntur. E codice porro dicto Turocziano chart. seculi XV-i. eiusdem bibliothecae n-o. 3455. Ex editione denique Sambuci anni 1581. Signantur literis K. T. S. Hic cum laude nominandus est nobis etiam vir doctus Steph. Ladislaus Endlicher, e cuius egregio de legibus S. Stephani opere multum profecimus.

L e g e n d a S. E m e r i c i. Cum brevis haec narratio historiam gentis paucis attingat, interpolatores a depravando eius contextu, si prologum et peregrinationem Almi ducis excipias, manus abstinuerunt. Exemplum dedimus codicis Lunaelacensis chartacei seculi XV-i bibliothecae Caes. Vindobonensis; cum quo facit Tegernsensis bibliothecae regiae Monacensis eiusdem seculi. Varias lectiones ex editionibus: Veneta a. 1498. et Cracoviensi a. 1511. congessimus.

Et haec quidem hoc volumine; — daturi Chronicorum Hungariae maiorum et minorum contextum, cum disquisitionibus criticis de aetate et fide auctorum, si ut studium et diligentia scriptori superant, sic subsidia necessaria editionem molienti non defuerint.

VITA S. STEPHANI REGIS.

I.

Legenda minor.

CAPUT I.

1. Cum intelligamus sanctorum merita in libro uitę scripta[1][a]) et memoriale eorum coram domino in secula,[b]) uere saluberrimum asserimus, aliquid in exemplum de vita et actibus bonorum, ad successorum propaginem[2]) scriptis emanasse. ipsi fideliter pro christo certauerunt, et feliciter pro certamine coronati sunt. nos si laboris eorum imitatores efficiamur, sicut Paulus dicit, heredes quidem dei erimus, coheredes autem Christi.[c]) martyrum[3]) agonibus mater cottidie[4]) ecclesia coronatur, confessorum fidelibus lucris reparatur, tantisque perornata fulgoribus circa uolubilem orbis axem splendescit. multa eorum gloriose[5]) certamina mundus olim habuit quę uetustate temporum clausa fidelium memorię non sunt commendata, quia uane[6])[d]) sacro caruerunt. sed de antiquis, quę iam comprehendi nequeunt, omittentes, scimus enim quoniam laus eorum ante deum in[7]) sempiternum non ueterascet, ad ea quibus sermo texitur, ueniamus.

2. Sanctissimi confessoris Stephani, incliti uidelicet Pannoniorum regis uitam actusque, sicut fideli et ueraci relatione[8]) tunc temporis inuentum[9]) accepimus, dignum

---

[1]) ascripta M. [2]) progeniem. M. [3]) martirum. M. [4]) quotidie. M. [5]) gloriosa. W. [6]) uate W. E. [7]) in. om. M. E. [8]) religione. M. [9]) uiuentum. W. [a]) quorum nomina sunt in libro uitae. Philip. 4, 3. [b]) memoriale coram domino in aeternum. Exod. 28, 29.[c]) Rom. 8, 17.[d]) omnes illacrimabiles argentur ignotique longa nocte, carent quia vate sacro. Hor. od, IV, 9.

et honorificum duximus posteritati transmittere. nec doctas compositasque grammaticorum lineas, aut philosophorum interpretatorum,[1]) seu sophystica[2]) acumina imitamur, quia stultum[3]) est in altum nauigare, si non possit ad portum transmeare. illi ista autumant, qui secundum poeticas fabulas pegaseo[4]) fonte potati sunt, qui se somniasse inter sacra parnassi[5]) gloriantur, horum sapientia ex uanitate in uanitatem euanuit, et ex ea nihil fructus ad profectum sui capientes stulti facti sunt. uos autem intelligentes, quod scriptoris ab ore sonat, pusillanimitati eius cedite, quia quod a fidelibus auditu didicit, recitat. certe non ęquum[6]) onus uiribus suis considerat, cum prorsus careat lucida facundia, et bene capaci intellectu. presertim ueretur super emulatorum morsibus, qui sua negligenter componentes, aliorum scripta laniant. ergo licet autenticas[7]) librorum scripturas reuoluatis, tamen hęc breuiora legite, et si quid abnorme, si minus disertum sermonem inueneritis rusticitati eius parcite.

3. Itaque cum diu barbarica gens hungarorum errore infidelitatis suę teneretur, et ritu gentilium uanas sacrilegasque superstitiones sequeretur, placuit misericordię saluatoris dei, finem peccatis eorum ponere, ut cessante diabolica illusione, saltem reliquię gentis huius saluarentur. nam quasi lumen de tenebris, beatissimum regem Stephanum suscitauit, quem iuxta catholicę fidei ueritatem eruditum ad preparandum sibi populum acceptabilem disposuit. hic Strigoniensi oppido natiuitatis exordium habuit, et puer adhuc scientia grammaticę artis ad plene imbutus est. pater eius rex quidem, sed primum gentilis fuit. postea illustrante spiritus sancti gloria, uitę et uię lumen agnouit, euangelicam[8]) institutionem secutus ad imaginem[9]) ueritatis peruenit. interim[10]) autem diuinis conspectibus se probabilem reddidit, ut omnes militię suę comites ad ueri

[1]) interpretationes. W. [2]) sophistica M. [3]) statutum M. [4]) pegasio. W. [5]) parnasi. M. [6]) equum M. [7]) authenticas. M. [8]) euangelicamque. M. W. [9]) ymaginem. M. [10]) intantum. H. W.

dei culturam conuerteret. quos uero alienę uię sectatores reperit minis terroribusque subiugauit. qui cum iam senesceret, resolutionemque sui corporis imminere sentiret, filio arce regni sublimando uxorem nobilissimam, ex latissima romanorum imperatorum prosapia deriuatam[1]) duxit. interea rex christiani nominis amator, debitum soluens naturę concessit. qui ut credimus, per confessionem deitatis gloriam ęternę felicitatis consecutus est.

4. Post cuius obitum Stephanus adhuc puer.[2]) fauore principum et plebis in regni solium laudabiliter prouectus ardentiori animo ueritatis cepit propagator existere. quia quamuis pueritie[3]) annis floreret, non tamen cor in ore, sed os habebat in corde.[4])[a]) Scripturarum diuinarum, quibus adprimum[5]) flagrabat, non immemor, iudicium et iustitiam ante oculos[6]) proponebat, iuxta illud Salemonis,[7]) audiens sapiens[8]) sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.[b]) non proponebat ante oculos[9]) rem iniustam facientes, et consentientes, sed in omnibus mandatis dei fidelis dispensator[c]) existens, apud se cepit meditari, ut si populum iam pridem baptismatis consecratione renatum absque disciplina dimitteret, facile post errorem uanitatis suę iterum conuerteretur. hunc secundum ecclesiasticam doctrinam instituens, iugum et legem disciplinę subpositis ceruicibus adhibuit, omnesque immunditias malorum prorsus destruxit.

CAPUT II.

5. Quidam uero nobilium, quibus luxus et desidia cordis inerat, uidentes quod assueta coacti reliquissent,

---

[1]) diriuatam. M. E. [2]) Post obit. uero patris Steph. adh. adolescens. H. [3]) adolescentie. [4]) in corde hab. H.[5]) adprime. H.W. [6]) in oculis. H. [7]) Salamonis. M. 2. Salamonis. H. [8]) disciplinam add. H. [9]) tuos add. M.

[a]) in ore fatuorum cor illorum, in corde sapientium os illorum. Eccli. 21. 29. [b]) audiens sapiens sapientior erit, et int. gub. poss. Prov. 1. 5. [c]) Luc. 12. 42.

diabolico instinctu iudicia regis contempserunt, et ad priores uoluntatis[1]) suę usus animum reducentes, contra eum arma mouebant. ceperunt autem urbes eius desolari, predia uastare possessiones deprędari, seruos cedere, et ut cetera sileam regi[2]) insultare. cumque declinare nollent a uia sua peruersa,[3]) nec furor eorum satiaretur, rex[4]) ipse confidens de eterna uirtute, ad superandum[5]) hostium rabiem, cum multitudine exercitus sui processit. illis forte diebus urbem quę[6]) besprem nuncupatur, obsederant, hoc ad uitia[7]) eius commouentes. scilicet ut ubi accessus regalis[8]) et conuersatio habebatur, ibi consederent, quo facilior ingressus ad alia presidia occupanda inueniretur. rex[9]) diuina preeunte clementia aduersus eos consurrexit, et hi[10]) infidi,[11]) illi uero tantum in armis confidentes utrinque decertauerunt. tandem[12]) hostibus uictis et ex parte cęsis, ex parte captis et alligatis rex[13]) uictor cum suis uictorię signa[14]) reportauit. preterea[15]) de possessionibus eorum tam in agris quam in uillis sapienter diiudicauit. non sicut quondam Saul, qui deuicto amalech, de spoliis eius domino prohibente meliora elegerat. ex omnibus enim nichil ad opus sui reseruauit[16]), sed abiens, sancto confessori martyno[17]) consecrauit, in cuius honore etiam basilicam construxit. illos autem et posteros eorum usque in presentem diem seruos ęcclesię instituit. postea impetratione optimatum suorum consilium cepit, ut tantum decimas ex his quę possidebant darent, ne afflicti disperderentur a[18]) terra.

CAPUT III.

6. Subiugatis persequentium se tumultibus, et con-

---

[1]) uoluptatis. M. [2]) ipsi. H. [3]) cumque decl. de via sua perv. nollent. H. [4]) dux. H. [5]) superandam H. [6]) uulgo, add. M. H. [7]) conuitia. M. H. E. W. [8]) regal. acc. M. ducalis accessus conversatio. H. [9]) ipse uero. H. [10]) hic. H. [11]) in fide. M. H. [12]) tandemque H. [13]) dux H. [14]) dona. H. [15]) quapropter. [16]) reservans. H. [17]) Martino. M. [18]) e. M.

firmato in pace regni solio, cępit sanctę religionis magis ac[1]) magis emulator existere, omnesque in Christo pie uiuentes diligere. celebritas prudentię apud filios hominum in maxima reuerentia habebatur. crescebat cottidie ecclesia fidelium, et multi ex diuersis mundi partibus audientes de doctrina eius confluebant. dum longe lateque sancti dei cultores multiplicarentur, rex ut erat artius bonis operibus intentus, statuit atria sanctę matris ęcclesię ampliare[2]) quod et deuotissime impleuit, nam sub titulo sanctę Marię gloriosę uirginis in Alba ciuitate, quę ob specialitatem nobilitatis suę nomen accepit, templum instaurauit, ubi inter plurima distincta[3]) gemmarum colore perornata phylacteria, primo ex purissimo auro fabricata, in opus sanctuarii intulit. inde ex uniuersis pertinentibus sibi tam in agris quam in uineis partem in oblationem dedit, et officia clericorum illic domino famulantium instituit. percipiensque laboriosum fidelibus esse, si illuc ab exterioribus locis ad missarum solemnia confluerent, iussit, ut decem uillarum populus ęcclesiam ędificaret, ad cuius diocesim[4]) pertineret, ne tedio affectus minus religionis suę officium curaret. quibus secundum uitę meritum episcopos et sacerdotes prefecit, ut auctoritate apostolicę traditionis erudirentur. nec multo post alias se conuertit, corroboratus uoce domini dicentis: luceat lux uestra coram hominibus, ut glorificetur pater uester qui in cęlis est,[a]) et quosdam familiarium suorum Romam adire delegit, commendans facultates multas nimis, ut ibi in honore prothomartyris Stephani ęcclesia fundari deberet. quod et ita factum est. post hęc diuisit alia quibus acquirerentur domus, uillę possessiones et cetera talia, quę ad sumptus ministrorum ęcclesię pertinent. et singulis annis quamdiu aduixit, munera et oblationes semper[5]) augebat, ne aliquid extrinsecus quęrerent, qui officio sanctuarii preerant. Jerosolimis etiam in monasterio quod construxerat, monialium conuersatio-

---

[1]) et. W. [2]) amplificare. M. [3]) distincto. M. W. [4]) diocesin. M. [5]) superaugebat. M. W. [a]) Matth. 5. 16.

nem destinauit. quibus simili dispositione necessaria preparauit. O uere felicem Stephanum, qui ut ęternam man sionem ędificatam haberet in cęlis, seipsum domino habitaculum preparabat in terris.

CAPUT IV.

7. Sancta dei ęcclesia in pace collocata, et ex romana auctoritate iuste ordinata, gens bissenorum longe a fide aliena, et quasi belluina[1]) stultitia carens intellectu, patrię eius confinia demoliri aggressa est. rex uero illos ante dies in remotis partibus uenatui insistebat, ut saltim[2]) post multas curas quibus opprimebantur[3]) aliquantisper infirma membra laxarentur. cum ergo circa mediam horam diei sopori indulgeret, per uoluntatem dei, qui ea quę futura sunt, spiritu uisionis suę manifesta et cognita fidelibus[4]) ostendit, uidebat[5]) astantibus presentialiter inimicis patrie loqui, et quasi eos terrendo proferre: cur uana uestra cohorte claustra sanctę ęcclesię irrumpere uultis, cur gregem pastoris magni et ouilia eius desolari uenistis? recedite, recedite, quia impetraui ab imperatore meo uirum et[6]) defensorem et ducem meum, scilicet martynum, qui non patietur morsibus uestris pascua iustorum lacerari. euigilansque alacri uultu, qui sua proferret nuntia adesse mandauit. cui assistenti, non meę inquit legationis caussas explere poteris, sed alius, qui fidelior inueniatur accedat. presentatum uero eisdem uerbis redire precepit. amoto[7]) et tertio: perge ait adire festina propere, et mea tollens mandata, dic tribuno plebis in ulterioribus moranti, ut se preuideat.[8]) uiros ad pugnam eligat et[9]) hostium cuneos, in me bellum mouentes propellat. ascendit ille uelociter, ad locum peruolauit, quod acceperat indicauit, idemque diligenter factum est. iam hostis propius aderat, iam menia urbis uallauerat, cum.[10]) inopina incursio est,

---

[1]) beluina. M. [2]) saltem. M. E. [3]) opprimebatur E. [4]) suis. add. M. E. W. [5]) videbatur. M. E. W. [6]) om. M. W. [7]) ammoto. M. [8]) provideat. M. E. W. [9]) om. M. E. W. [10]) tum. M.

tribunus cum copiis suis illum inuaderet. tunc utrinque decertatum est. isti protectione dei roborati accinguntur, illi amentia sua obligati discinguntur postremo terga fugę dederunt, plures autem[1]) corruerunt, plures eorum in captiuitatem ducti sunt. cęde peracta, is qui uenerat, ad regem[2]) regreditur ut nuntiaret ei. rex audito euentu belli grates habuit omnipotenti, qui uictoriam fidelibus suis dedit ex inimicis. nimirum credimus superna pietate illum uisitari, qui ne circumdaretur ab inimicis liberatorem de cęlis habere meruit, ut precederet et custodiret eum, sicut enim deus christum suum dauid quondam a facie phylistinorum angelo suo protegente liberauit, ita et hunc de manu persequentium eripuit[3]) ducens et reducens in saluationem.

CAPUT V.

8. Fama nominis sui in auribus secularium diffusa, et iudiciis oris sui celebri laude ubique innotescentibus LX uiri byssenorum, quorum superius mentionem habuimus, cum uniuerso apparatu suo, uidelicet auri et argenti copiositate, multaque uarietate ornamentorum, curribus onustis[4]) partibus bulgarorum egressi[5]) terminos pannoniorum apprehendant.[6]) at multi seruorum, quorum animus cereus[7]) est flecti in uitium, malignitatis face[8]) succensi obuiam illis exierunt, quosdam gladio percusserunt, quę omnium eorum[9]) fuerant aufferentes[10]) uacuos et semineces reliquerunt. illi iudicio regis quod[11]) actum, quidue perpessi sunt[12]) reseruantes, iter quod ceperant peregerunt, et ad eum usque properantes, genibus[13]) se aduoluerunt. quibus uisis, quę inquid causa malorum.[14]) mi domine retulerunt[15]) nos serui tui nihil mali machinantes

---

[1]) eorum. add. M. [2]) a rege. E. [3]) erripuit. M. E. [4]) de. add. H. [5]) ut. add. E. W. [6]) aprehendant. W. apprehendaverunt E. ad regem venire volentes terminis pannoniorum appropinquaverunt. H. [7]) certum. M. [8]) facie. M. [9]) omnia quae corum fuerant H. [10]) afferentes. M. [11]) quid. P. quod actum quoduc. M. [12]) sint. H. [13]) eius add. H. [14]) quae causa inquit. M. H. [15]) roferunt. M. H. W.

ad audiendam iudiciorum tuorum disciplinam ueniebamus, et quorundam manibus quam nobiscum ferebamus pecunia absque delicto omnium nostrum ablata est. insuper apprehensos[1]) ceciderunt, et uita uix comite uenimus ut nuntiaremus tibi. rex ut erat prudentioris animi, non uultu non uerbis minatus est, sed sustinens ut scribitur: prudens spiritum reseruat in posterum,[a]) misit ocius ad illum sub quo militabat[2]) tribunum, et die constituto, omnes perditionis illorum uiros iussit conspectibus suis pręsentari. actum est ut imperauerat, et ad discutiendum in presentia sui statuti sunt. quos alloquens: cur inquit legem preceptorum dei transgredientes, non intellexistis misericordiam, et uiros innocentię condempnastis? non enim auditores legis, sed transgressores feriendi sunt,[3])[b]) sicut fecistis, ita faciet dominus uobis coram me.[4]) accepta sententia educti sunt, et per omnem regionem[5]) ingressu uiarum duo et duo suspendio perierunt. per hoc denique uolens intelligi, ut quicunque non adquiesceret iudicio iustitię, quod a domino proposuerat, sic fieret illi. audierunt habitatores terrę iudicium quod iudicasset rex, et timuerunt.

CAPUT VI.

9. Post non multum temporis egrotationem incurrit qua postmodum corpore discessit[6]) longa[7]) languoris molestia ingrauescente in pedibus stare nequibat. uidentes autem quatuor nobilissimi palatinorum diu grauiterque laborantem, nam ipsi adhuc in perfidia cordis errabant, consilium iniquitatis duxerunt, occasumque eius in mortem conati sunt tractare. iam die aduesperascente, antequam

---

[1]) nos, add. P. [2]) militabant. H. [3]) non enim — sunt. om. H. [4]) hodie, transgressores legis feriendi sunt. add. H. [5]) in add. M. H. W. [6]) decessit. M.E.W. ecxessit. H.[7]) longaque M. longa namque. P.W.

[a]) totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt et reseruat in posterum. Prov. 29. 11. [b]) non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Rom. 2. 13.

in domo lucerna accenderetur, unus eorum audacter[1]) sub obscuro ingressus est, et ad iugulum[2]) ensem nudatum sub clamide tegebat. dum pedem inhiberet[3]) ubi rex quiescebat, reuera cęlesti impulsu gladius corruit, percussusque in terram tinnitum reddidit. statim experectus[4]) causam requisiuit et tamen quid fuisset presciuerat. uir[5]) ille anxius obruit[6]) consilium furoris sui recognouit, doluit, accessit, procubuit. uestigia regis amplexatus est, se deliquisse fatebatur[7]) sibi indulgere precabatur.[8]) ueniam quęrentem non auertit, facinus facile dimisit. idemque[9]) iussus traditionis conscios aperuit. postera die precepto regis homicidę illi inuenti adducuntur, et aduersus eos iudicia[10]) locutus est. ut autem reliquis essent in exemplum, et discerent dominos summo honore uenerari, uisu priuauit, manus noxias abscidit, et qui iniustitia sua insidias iusto sanguini parauerant, iudicio iustitię in malum uitę suę deuenerunt.

CAPUT VII.

10. Anno dominicę incarnationis MXXXVIII indictione VI. Heinrico[11]) romanorum augusto, anno autem imperii sui XXXVIII kal. septembris[12]) obiit, et in basilica uirginis Marię quam pretioso opere consummauerat, honorifice est sepultus. multis igitur annorum cursu labentibus, seu propter exhabundantem populi malitiam, seu propter aliquam diuisionem in ecclesia, thesaurus tantę pecunię in terra latuit, et mortalium cognitionem[13]) occultus solius oculis domini apparebat. sed uolens eius incomprehensibilis bonitas, quanti esset apud deum premii, reue-

---

[1]) audaciter. M. E. W. [2]) iugulandum regem ensem. H. [3]) inhiceret. M. [4]) statimque rex audiens. H. [5]) autem. add. P. [6]) obriguit. M. W. corruit. H. [7]) confessus. H. [8]) precatus est. H. [9]) iussu regis — adducti sunt. P. „tradition. consc. aper. postera die precepto." om. praeter V. codd. H. [10]) iudicio. M. P. [11]) Hainrico. M. [12]) imperii sui XXXVIII. XVIII. kal. Sept. W. (possis etiam ponere XX. XVIII. nam XVIII. ego inserui. Wattenbach.) [13]) cognitioni. M. E. W.

lare, dedit illi gloriam in conspectu hominum, clarescente miraculorum frequentia, et sicut laude et cantico sibi in cęlis assistebat, ita eum laude et cantico suę ęcclesię digne memoriterque in terris decorauit. nam sicut iubar noui luminis sanctitas eius in omnem circa regionem resplenduit, et tamquam suauitas odoriferi ungenti[1]) audientium corda repleuit.[2]) presidente in regni solio ladisclauo pię memorię rege, episcopi et abbates, et qui preerant in regimine sanctę ęcclesię animaduertentes sanctitatem eius, signis testantibus, communi decreto triduani ieiunii indixerunt afflictionem, ipsique orationibus uacantes, uisitationem supernę clementię in plebem expectabant. postea corda tollentes ad deum, ymnorum[3]) uocibus resonuerunt[4]) in confessione sui nominis, sicque uenerunt ad locum ubi sanctissimum corpus claudebatur. quem soluentes aperuerunt,[5]) tantaque odoris diffusio ascendit, quanta nunquam circumstantibus apparuit, ac omnium qui illic[6]) occurrerant membra languidorum curata sunt. cęci lumen, claudi plantarum soliditatem, leprosi mundam cutem, paralytici salutem, omnesque, quacunque doloris tenebantur obsessione, curam meruerunt. assumto inęstimabilis pretii pondere omnipotenti deo gratias egerunt, deferentesque in theca argentea signauerunt.

II.

Legenda major.

CAPUT I.

1. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.[a]) neque[7]) quip-

---

[1]) unguenti. M. E. [2]) fluebant omnes diuersi lanquoris homines, qui antidoto pietatis sue attacti curabantur, et qui corruptionis plaga pene defecerant, in solidum astricti reuertebantur. add. M. [3]) himnorum. M. [4]) resonauerunt. M. W. [5]) apperuerunt. M. [6]) illuc. E. W. [7]) enim. add. P. [a]) Jacobi I. 27.

piam boni potest in rebus[1]) esse uel fieri, absque beneficio[2]) uenientis miserationis dei. oculis quidem diuinę prouidentię, quibus sibi famulatum[3]) cęlestium uirtutum et[4]) statum inconcussum secundum placitum suum intuetur, hiisdem[5]) etiam hominis perditi restaurationem dignatus est misericorditer contemplari et operari, ut quem imaginis suę dignitate creando decorauerat, paterni regni coheredem fieri per incarnationis suę sacramentum mirabiliter efficeret. perfectis igitur in redemtore nostro patriarcharum ac prophetarum oraculis, per uirginem ineffabiliter nascendo, per crucis passionem ac mortis assumptionem tertia die resurgendo, cum discipulis suis quadraginta diebus, conuersando; postquam ipsis cernentibus cęlorum alta penetrans, patris dexterę naturaliter et potentialiter est associatus, et[6]) spiritum sanctum paraclitum a patre et a se procedentem, in filios adoptionis mirabili sonitus uehementis aduentu transfudit. qui linguis[7]) in igneis apparens, eos omnium linguarum scientia diuites effecit, et miraculorum insigni potentia, uirtute deifica[8]) mirificauit. cuius ardore caritatis inflammati, secundum quod eis saluator noster ante preceperat, euangelicę predicationis functi legatione totum mundum diuini semina uerbi spargendo perlustrauerunt. quidam eorum regna cum regibus, quidam principatus cum principibus, quidam partes et diuisiones regnorum et[9]) prouinciarum cum prefectis et prepositis ad christianę religionis cultum perduxerunt. et in tantum feruore sancti spiritus exardescente per orbem uniuersalis ecclesię sunt stabilita fundamenta,[10]) quod et[11]) ipsa mundi totius metropolis roma, cum[12]) monarchia dignitatis imperatorię christi fidei colla submittens uanitatum erroribus renuntiauit. non remansit patria neque natio, ubi quorundam miserationis christi non fuisset assumptio. unde

---

[1]) existentibus. add. M. et P. [2]) gratis. add. P. [3]) famulantium P. [4]) et. om. P. [5]) hisdem P. [6]) inde. P. [7]) linquis igneis M. [8]) clarifica. P. [9]) regnorum et. om. M. P. [10]) fund. s. stabilita. [11]) etiam. P. [12]) et. M. E.

contigit diuinę pietatis intuitu[1]) in filios perditionis et ignorantię,[2]) populum rudem et uagum, culturam dei nescientem,[3]) ungaros[4]) uidelibet[5]) et[6]) pannonię patriam inhabitantes clementi usu[7]) de cęlo prospiceret,[8]) ut quos ad ulciscendas preuaricationes christianorum de sedibus naturalibus in occiduas partes occulto perpetuitatis consilio prius exciuerat,[9]) hos tempore suę predestinationis iam instanti[10]) de uia iniquitatis ad iustitię semitam deleta[11]) nebula[12]) ad spem in ęternum permanentis perduceret retributionis.

2. Erat tunc[13]) princeps — intus[14]) ab illo, qui ingressionis ungarorum in pannonia[15]) dux primus fuit nomine Geiza,[16]) seuerius[17]) quidem et crudelius olim[18]) potentialiter agens in suos, misericors autem et liberalis in alienos et precipue in christianos. paganismi licet adhuc ritibus[19]) obuolutus, tamen adpropinquante spiritualibus[20]) fulgore karismatis, cum omnibus dei[21]) circumquaque positarum prouinciarum uicinis de pace, cuius nunquam ante fuerat[22]) amator cepit attente tractare, ut iam in illo posset agnosci, cuius filius desideraret fieri. secundum dictum saluatoris nostri dicentis in euangelio: beati pacifici, quoniam filii dei uocabuntur.[a]) statuit insuper preceptum ceteris[23]) christianis regnum[24]) suum intrare uolentibus, hospitalitatis[25]) et securitatis gratiam exhybere,[26]) clericis ac[27]) monachis potestatem concessit presentiam suam adeundi, quibus uoluntarium libenter auditum pre-

---

[1]) intuitum. P. [2]) agnorantie. P. [3]) creaturam dei esse se nescientem. P. [4]) hungaros. P. [5]) uidelicet. M. P. [6]) om. P. W. [7]) uisu. M. P. E. W. [8]) prospicere. M. P. E. W. [9]) excitauerat. P. [10]) instante. P. [11]) de mesticie nebula. P. [12]) nullius. add. M. [13]) in ea. add. H. [14]) sic M. editor huius codicis in nota: „forte alius ab illo.“ quartus H. [15]) pannoniam. H. [16]) Geysa. H. [17]) „seuerus — crudelis“ H. et sic fuerat in cod. correctum prima manu in ius. [18]) ueluti. H. [19]) ritu paganismi licet adhuc quidem obuol. H. [20]) Spiritualis. M. H. [21]) om. M. H. [22]) fuit. P. [23]) cunctis. H. [24]) ducatum. H. [25]) hospitalitatem. H. [26]) exhiberi. H. [27]) et. H. [a]) Matth. 5. 9.

bens, orthodoxę fidei semen pectoris in orto satum delectabatur germen emittere.

3. Quid plura? adest tempus cęlitus depositum[1]) credidit ipse cum familiaribus suis et baptizatus est, omnes ditioni suę subditos se pollicens christiano nomine[2]) mancipaturum. cumque nimium esset sollicitus de rebellibus domandis, et ritibus sacrilegis destruendis, et episcopatibus secundum ęstimationem suam ad profectum sanctę ęcclesię statuendis, mirabili uisione noctu consolatus eum dominus, fecit astare sibi iuuenem delectabilem aspectu, qui dixit ei, pax tibi christi electe, iubeo te de sollicitudine tua fore securum, non tibi concessum est perficere quod meditaris, quia manus pollutas humano sanguine gestas. de te filius nasciturus egredietur, cui hęc omnia disponenda diuinę prouidentię consilio dominus commendabit.[3]) hic unus erit[4]) de[5]) regibus electis a domino, coronam uitę secularis commutaturus ęterna. uerumtamen uirum spirituali legatione tibi transmittendum honorabiliter suscipito, suscepto honesto[6]) timore perditionis ultimę perterritus, et amore raptus iugiter manentis spei quę non confundit, exhortationibus eius non fictum cordis fidelis assensum prebeto.

CAPUT II.

4. Expergefactus princeps uisionem stuporis[7]) prius secum, post cum Christi fidelibus et suis pertractans, deo gratias pauimento manibus expansis adherens humiliter egit, se principatumque cum filio nascituro custode[8]) illius qui non dormit, neque dormitat lacrimis fusis commendauit. dum miratur ergo diuinitus de uiro[9]) predicto, nunciatur ei[10]) Adalbertus boemiensis ecclesię pontifex ad se uenturus propter conuersionem ipsius et fidei non fic-

[1]) dispositum. M. H. E. [2]) nomini. H. [3]) comm. dnus. H. [4]) erit un. H. [5]) ex. H. [6]) susceptum venerabiliter habeto, timore P. susceptum honesto timore. M. E. [7]) stupidus. H. [8]) custodie. M. H. [9]) de uiro diu. H. [10]) beatus. add. M. beatum — pont — venturum. H.

tę[a]) profectum domino deo hostiam laudis oblaturus.[1]) oritur leticia nouis christi militibus inerrabilis,[2]) dux obuiam tyroni christi cum fidelibus quibusque procedit,[3]) honorabiliter suscepit, et ut per uisum monitus est, propter timorem et amorem dei, modis omnibus obedientię filium ei se fore demonstrauit. igitur iubente principe fit ubique congregatio gentis indomitę, per sanctum episcopum fiunt[4]) exhortationes continuę, conuertuntur et baptizantur alumni patrię, statuuntur multis in locis ęcclesię. lux quippe, quę illuminat omnem hominem,[b]) tenebris expulsis cępit in ungaria enitescere,[5]) et impleta sunt[6]) uerba prophetię[7]) dicentis: gentium populus[c]) qui ambulabat[8]) in tenebris, uidit lucem magnam. lux lucis inuisibilis christus est, quem tunc gentes uidere meruerunt, quando reuocati de tenebris ipsum uerum lumen[9]) deum et hominem uerum esse perfecte[10]) crediderunt.

5. Nascitur interea predictus a domino principis[11]) filius quem secundum prophetam: antequam[d]) in utero conciperetur dominus nouit.[12]) hunc deo dilectus Adalbertus episcopus crismali baptismate secundum credulitatis suę ueritatem intinxit, et susceptor eius fuit.[13]) nomen sibi impositum est Stephanus, quod alienum a consilio dei[14]) non credimus. Stephanus quippe grece coronatus[15]) sonat latine, ipsum quippe[16]) in hoc seculo[17]) deus uoluit ad regni potentiam, et in futuro corona beatitudinis semper permanentis[18]) redimere[19]) decreuit, ad percipiendum[20]) uitę iugis indeficientem gloriam. creuit infans regali[21]) nutritus educatu, qui transuadata[22]) pueritia, postquam primum adolescentię gradum transcendit,[23]) conuocatis

---

[1]) oblaturum. H.[2]) inenarrabilis. M. H.[3]) et. add. H.[4]) et per suos add. H. [5]) enitere. H. [6]) in ea. add. H. [7]) prophete. M. [8]) ambulat. M. [9]) om. H. [10]) perfecti. E. [11]) fil. princ. P [12]) nov. dom. M. [13]) suus ipse fuit. P. [14]) fuisse. add. P. [15]) corona[tu]. P. [16]) quidem. H. [17]) coronare. add. H. [18]) manentis. H. [19]) redimire. P. [20]) percipiendam H. [21]) diligenti et reg. P. [22]) transacta. H. [23]) grad. adol. prim. ascendit. H.

[a]) I. II. Tim. 1. 5. [b]) Ioan. 1. 9. [c]) Isai. 9. 2. [d]) Jerem. 1. 5.

pater suus hungarię primatibus, cum ordine sequentì, per communis consilium colloquii filium Stephanum suum[1]) post se regnaturum populo prefecit, et ad hoc corroborandum a singulis sacramentum exegit. post hęc plenus dierum anno dominicę incarnationis DCCCCXCVII. seculi nequam erumpnas cęlesti mutauit gaudio. et eodem anno beatus[2]) adalbertus episcopus causa predicandi uerbum[3]) dei ruziam[4]) ingressus est[5]) et ibidem cum[6]) palma martyrii coronatus est.

CAPUT III.

6. Regno denique[7]) pannonico[8]) beati iuuenis nutu[9]) adtendente, pacem cum exterarum[10]) populis fideliter statutam corroborauit;[11]) ut in[12]) eo securius quod in mente tractabat, in nouella plantatione[*]) christianitatis explere sufficeret. sed aduersarius totius bonitatis inuidię plenus et malitię[13]) diabolus, ut sanctum christi tyronis propositum disturbaret, intestina contra eum bella commouit, quum[14]) eius instinctu plebs gentilis christianę fidei iugo colla submittere renuens, cum principibus suis a domino[15]) ipsius se subtrahere moliebatur. quos omnes eum protegente gloriosissimę[16]) crucis signaculo, patrocinantibus dei genitricis[17]) ac perpetuę uirginis marię meritis, sub uexillo deo dilecti pontificis martini, sanctique martiris Geory,[18]) ducibus eorum interfectis in breui suo seruitio subegit, et baptismatis unda lotos, unum deum colere, monita salutis per fideles sacerdotes eis distribuendo, compulit.

7. Deuictis ergo[19]) hostibus christi miles gaudio spirituali repletus, totus[20]) ingenii consilium euangelici se-

---

[1]) suum Steph. H. [2]) episcopus. Adal. P. [3]) verbi. P. [4]) pyziam. M. [5]) est om. H. [6]) ibi palma H. [7]) regnoque pann. P. [8]) ipsius. add. P. [9]) nutum. P. [10]) provinciarum add. H. [11]) roborauit. H. [12]) om. H. [13]) invidia — malitia. P. [14]) in Ms. qm. [15]) dominio H. [16]) victoriosissime. P. [17]) genetricis. E.W. [18]) Georgii. M. P. [19]) vero. P. [20]) totius M. H.

[*]) Ps. 143. 13.

minis decreuit fore receptaculum. elemosinis et orationibus uacans, frequenter pauimento adherens[1]) domus sanctę, lacrimis fusis[2]) perfectionem propositi sui dei commisit uoluntati. ut qui sine ipso nichil agere ualeret, opitulante[3]) dispositionis ipsius expletione, bonum quod cogitauerat, cum inceptione uirtutum ad finem perducere posset. ad hoc igitur incipiendum et consummandum, quoniam fidelium christi consultum habebat necessarium, nunciis et litteris in omnes partes suum diffamauit[4]) desiderium. inde multi presbiteri et clerici instinctu spiritus paracliti compuncti[5]) relictis sedibus propriis elegerunt[6]) peregrinari. abbates et monachi nichil proprium habere cupientes, sed[7]) sub tam religiosissimi principis patrocinio[8]) regulariter uiuere desiderauerunt.[9]) inter quos uitę religiosus[10]) ascricus pater[11]) cum suis discipulis aduenit, quorum unus bonifacius nomine in loco patris abbas deinde constitutus dum a beato rege causa predicationis in inferiores ungarię partes esset missus, in ceruice gladio percussus,[12]) licet postea uiueret,[13]) non est priuatus martirio.[14]) uenerunt et alii duo de terra poliensi[15]) heremiticam uitam causa contemplationis eligentes, quorum unus andreas nomine per confessionis meritum angelicis choris est associatus, testibus miraculorum signis per ipsum a domino factis, alter benedictus pro christo sanguine fuso mirabiliter[16]) laureatus. ascricus[17]) abbas cum suis honorifice susceptus, ad radicem montis ferri[18]) cenobium sub titulo sancti patris benedicti construxit, ubi usque hodie congregatio monasterialis disciplina regulari pollens, temporalium sustentione[19]) copiarum[20]) superhabundans, non

---

[1]) pav. sanc. dom. adh. H. [2]) effusis. H. [3]) opitulanti. E. [4]) divulgauit. H. [5]) spir. par. visitatione comp. H. [6]) pro domino. add. H. [7]) om. H. [8]) et moderamine. add. P. [9]) deliberaverunt. H. [10]) regularis. H. [11]) asctus. M. pater ascr. P. [12]) perc. gladio. M. P. [13]) superviveret. H. [14]) mart. priv. P. [15]) poloniensi. H. [16]) misericorditer. H. [17]) astricus. M. [18]) ferrei. H. [19]) sustentatione. M. H. [20]) ex donativis sancti ducis. add. H.

alicuius egens, nisi ut suos et aliorum pedes secundum euangelium[1]) lauet,

8. Cum his[2]) dei seruus princeps christianissimus aliquando communiter cum omnibus, aliquando sigillatim[3]) cum uno quoque eorum colloquium habens prouincias in X partitus est episcopatus[4]) strigoniensem eam[5]) metropolim et magistram, per consensum et subscriptionem romanę sedis apostolici ceterarum[6]) fore constituens[7]) cui iam dictum uenerabilem ascricum abbatem, pontificalis dignitatis infula decoratum, electione canonica prefecit. cuius consilio ceteras sedes patrum curis et prouisionibus commisit. iaciuntur ubique sacrarum fundamenta domorum, surgunt claustra canonicorum, florescunt claustra[8]) cenobia regulariter conuersantium canonicorum[9]) congregationum. undique fit cursus[10]) deo famulantium, quorum[11]) desiderium tam liberalis principis excitauit benignę susceptionis solatium. et quoniam pannonia beati pontificis martyni natiuitate gloriatur, cuius etiam patrocinantibus meritis rex[12]) christo fidelis, ut iam dictum est, de hostibus victoriam reportauerat, inito[13]) cum theophilo[14]) consilio, iuxta fundum sancti presulis in loco qui sacer mons dicitur, sub titulo ipsius monasterium construens[15]) possessionibus et reditibus,[16]) cunctisque sufficientiis ditauit, et[17]) suffragio domitorum decimationibus simile fecit episcopiis.

9. Quinto[18]) post patris obitum anno, diuina sic

---

[1]) cottidianis precibus et lacrimis. add. H. [2]) is. P. [3]) singillatim. M. H. [4]) et. add. P. [5]) ecclesiam. P. [6]) ecclesiarum. addit in margine Ms. P. [7]) Ms. P pro ens it substituit et locum sic interpolat: „constituit. Predictum uero uenerabilem abbatem ascricum pontificalis dignitatis infula decoratum, electione canonica sublimauit, et colocensi episcopatui prefecit. (quatuor ult. voc. in margine). [8]) om. M. P. [9]) om. M. P.[10]) concursus. P.[11]) omnium. add. P. [12]) vir. H. [13]) initio. M. [14]) theophilis H. [15]) „constituere,“ et alio loco „construere cepit.“ P.[16]) redditibus. M. [17]) ipsius. add. H. [18]) quarto. H.

uoluntate[1]) clementia, benedictionis apostolicę literis[2]) allatis, presulibus cum clero, comitibus cum populo laudes congruas acclamantibus, dilectus deo Stephanus rex appellatur[3]) et unctione crismali perunctus diademate regalis dignitatis feliciter coronatur. post acceptum autem[4]) imperalis[5]) excellentię signum, qualis uitę uir et discretionis fuerit, cum episcopis et primatibus hungarię statutum a se decretum manifestum facit. in quo scilicet uniuscuius[6]) contrarium dictauit antidotum. et ut pacis per quam christus mundum[7]) coadunauit, se fore probaret filium, quod nullus alium hostiliter inuaderet, nemo inimicum[8]) sine iudicum[9]) examinatione lederet, uiduas et orphanos nullus opprimeret, subscriptione federis non pereuntis posteris s̃uis reliquit stabilitum.

CAPUT IV.

10. Ad consortium uero regni, precipue causa sobolis propagandę, sororem romanę dignitatis augusti uidelicet heinrici[10]) qui ob mansuetudinem morum pius est appellatus, gillam[11]) nomine sibi in matrimonio sociauit, quam unctione crismali perunctam, gestamine coronę[12]) sociam esse notificauit.[13]) quę qualis erga dei cultum ordinandum[14]) extiterit, quam frequens et benefica circa deo seruientium congregationes apparuerit, multarum ecclesiarum cruces et uasa uel preparamenta[15]) opere mirifico facta uel contexta usque hodie testantur. pre cunctis tamen domus episcopatus bespremiensis[16]) quam ipsa a fundamento ceptam omnibus sufficientiis ad dei serui tium[17]) in auro uel argento, uestimentisque multiplicibus

---

[1]) volente. M. commonente. H. [2]) cum corona et cruce simul. add. H. [3]) appellatus. H. [4]) om. H. [5]) regalis. H. [6]) cuiusque. M. H. culpae. add. H. [7]) orbem. H. [8]) vicinum. H. [9]) iudicii. M. H. [10]) hainrici. M. henrici. H. [11]) gislam. P. [12]) regni. add. H. [13]) significavit. M. constituit. H. [14]) ornandum P. [15]) paramenta. H. [16]) besprimiensis. P. E. [17]) ad serv. dei. M. dei ad serv. E.

nobiliter adornauit. ipse uero rex episcopia nuper incepta simul cum abbatiis prediis et curiis, famulis[1]) et reditibus[2]) regaliter disposuit, crucibus et uasis aliisque subpectionibus[3]) ad ministerium dei pertinentibus, secundum quod unicuique opus fuit, sufficienter decorauit. monachorum uitam et conuersationem, nunc per alios nunc per semetipsum[4]) explorando diligenter examinabat, torpentes arguens, uigiles sub dilectione constituens, canonicorum ministerium episcoporum prouidentię sub testimonio christi et ecclesię[5]) commendabat, secundum apostolum: omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret.[a])

11. Erat uir iste fidelis[6]) in omnibus actibus suis deo perfecte deditus, per uotum et oblationem semet cum regno suo sub tutela perpetuę uirginis dei genitricis marię precibus assiduis conferens, cuius honor et gloria[7]) tam celebris inter ungaros[8]) habetur, quod etiam festiuitas assumptionis eiusdem uirginis sine addimento[9]) proprii nominis ipsorum linguę[10]) reginę uocitetur. et ut maiorem ipsius defensionis miam[11]) consequi ualeret, in ipsa regalis sedis ciuitate quę dicitur alba, sub laude et titulo uirginis eiusdem perpetuę famosam et grandem basilicam opere mirifico et[12]) celaturis in chori pariete distinctis,[13]) pauimento tabulis marmoreis strato construere cepit. quamque uidentibus[14]) testimonium ueritatis uerborum nostrorum perhibent[15]) innumerabilia palliorum paramentorum et aliorum ornamentorum ibi esse genera, circa altaria tabulas[16]) plures auro purissimo fabricatas, lapidum species[17]) preciosissimorum in se continentes. ciborium arte

---

[1]) familiis. P. [2]) redditibus. M. H. [3]) suppellectilibus. H. [4]) seipsum. H. [5]) testimonio episcopi eccl. H. [6]) vir iustus et fid. H. [7]) gl. et hon. H. [8]) hung. M. P. [9]) additamento. H. [10]) lingua. M. H. reg. dies. H. [11]) materiam. M. misericordiam. H. [12]) om. H. [13]) in. add. H. [14]) qui vidit. P. [15]) perhibet verb. nostr. H. [16]) tabulas circa altaria. H. [17]) series. H.

[a]) I. Cor. 9. 22.

mirabili supra christi mensam erectum. cameram omni genere uasorum cristallinorum, onichinorum aureorum argenteorum[1]) pleniter refertam. decreuit iam filius dei qui[2]) tunc habebat et adquirere poterat, omnia christo quę ipsius dono unxerat conferre,[3]) ut qui eum gloria et honore mundi presentis dignum fecerat, celestis patrię ciuibus clementer associare dignetur.[4]) legimus in prophetia de apostolis scriptum, quod in omnem terram exiuit sonus eorum etcetera,[5]) hoc non solum de duodecim, sed de omnibus a deo missis ad euangelizandum dictum[6]) probatur, quorum fide et[7]) uerbis et moribus incrementum parauit[8]) ecclesia, de quibus iste christianissimus[9]) non minimus fuisse computatur;[10]) bonę uoluntatis et operis fama,[11]) quam in edificandis ecclesiis, in amplitudinem[12]) proprii iuris exercuit,[13]) longe positas terras et[14]) famosissimas disperserat. construxit enim in ipsa conuersationis christi secundum humanitatem[15]) ierusalem monachorum cenobium, prediis ditauit et uineis ad uictum cottidianum copiam ministrantibus. in capite[16]) mundi roma sub titulo protomartyris stephani XII canonicorum congregationes[17]) cunctis pertinentiis habundantes[18]) statuit, et materiam[19]) in circuitu lapide muratam, cum domibus et homiuibus[20]) et hospitiis ungarorum orationis causa beati principis apostolorum petri limina querentium.[21]) ipsam quoque regiam urbem constantinopolim, beneficiorum munere nisi[22]) priuatum,[23]) quam[24]) ecclesia[25]) mirifici operis cum[26]) omnibus necessariis suis do-

---

[1]) om. M. [2]) demum servus dei quae. H. [3]) ex ip. do. fluxerant conf. studuit. H. [4]) dignaretur. H. [5]) et in fines orbis terrae verba eorum. add. H. [6]) esse. add. H. [7]) et. om. H. [8]) parit. H. [9]) rex. add. H. [10]) comprobatur qui. H. [11]) famam operis. H. [12]) amplitudine. H. [13]) exercuerat in. H. [14]) urbes. add. H. [15]) civitate. add. H. [16]) quoque. add. H. [17]) congregationem. H. [18]) habundantem. H. [19]) maceriam. H. [20]) et hom. om. H. [21]) condidit. add. H. [22]) non. M. H. [23]) privavit. H. [24]) in qua P. [25]) ecclesiam. P. [26]) om. H.

nauit. merito igitur infra terminos suę dominationis nomen adeptus est apostoli, quoniam etsi ipse euangelizandi non assumpsit officium, predicatorum tamen dux et magister, eius tutaminis et sustentationis instituit solatium.

12. Inter omnia supernę miserationis beneficia beato regi diuinitus concessa, pre omnibus sunt illa dinumeranda scriptisque[1]) commendanda, quę locum primum[2]) obtinent ad ęternę uitę gaudia promerenda.[3]) in omnibus enim factis suis felicibus illud intendebat esse principium,[4]) quod ex euangelio fideli[5]) pectoris contemplatus est uisu, per ueritatis ipsius testimonium dicentis: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.[a]) et in alio loco: date et dabitur uobis.[b]) tantis igitur misericordię et pietatis brachiis christi pauperes, immo christum in ipsis amplexabatur,[6]) quod nullus unquam hospes et peregrinus ab eo sine benignitatis alicuius solamine tristis abscessit. ad recreationem egenorum cottidianas expensas indesinenter[7]) fieri constituit, nocturnas uigilias in lauandis christi fidelium pedibus[8]) in abscondendis in sinum[9]) pauperum elemosinis[c]) agiliter et hilariter transigere solebat, egenum christum in membris suis consolari deliberans temporaliter, ut[10]) ipse uitę celestis cameram cunctis delectamentis refertam inueniens iocundari meruit[11]) ęternaliter.

CAPUT V.

13. Quadam uero nocte spirituali monitu tactus,[12]) nemine sciente solus plenum dono dei gerens sacculum, christi pusillum gregem solito more perrexit uisitare. statimque pauperes distribuentem[13]) cęlestis thesauri pecu-

---

[1]) et scriptis. P. [2]) om. E. [3]) misericordia scilicet et veritas. add. H. [4]) precipuum. H. [5]) fidelis. M. [6]) amplexatus est. H. [7]) indeficienter. P. [8]) et. add. H. [9]) sinu. P. [10]) et add. H. E. [11]) meruerit. M. mereretur. H. [12]) tractus. H. [13]) distribuendae. pecuniae. H.

[a]) Matth. 5. 7. [b]) Luc. 6. 38. [c]) Eccli. 29. 15.

niam distrahentes[1]) initium uiri dei meritis euulsionem[2]) barbę prebuerunt testimonium. ob hoc gaudio perfusus[3]) miles christi maximum[4]) confugium fecit[5]) ad beatissimam creatoris omnium genitricem, prostratoque[6]) terrę gratias agens sicque[7]) exclamauit: regina cęlestis et mea, quem tu regem statuisti, milites tui sic[8]) honorauerunt. si ab aliquo aduersario mihi hoc illatum fuisset,[9]) meas iniurias per tuum ulciscerer adminiculum. sciens ergo domina per[10]) hec ęterna me signatum felicitate[11]) nimis exulto, gratias agens saluatoris nostri nomini et consolationi,[12]) quibus discipulos suos consolatus est dicens: capillus de capite uestro non peribit.[a]) his dictis se uir dei cęlestis[13]) gratia percipiens uisitatum, et spirituali[14]) carismate perfusum, cordis ianuas opem quęrentibus nunquam claudere decreuit. et[15]) per se deinceps et per alios sed[16]) precipue per christi seruos et familiares, clericos scilicet et monachos, cęlitus sibi datas facultates in ęternis thesauris permanentes[17]) per manus pauperum fecit collocari. huius rei testimonium perhibet[18]) in ęternum cum ipso cęlestis uitę particeps monachus ex seculari nobilitate[19]) et heremita beatus gutherius,[20]) quod[21]) liberalitate caritatiui principis illectus solebat eum sępius de terra boemorum[22]) uisitare. quotiens enim curiam ipsius aduentus sui fulgore perlustrauit, camera regis sub manu sua posita, peregrinis egenis et indigenis, uiduis et orphanis, cenobiis et ecclesiis distributa re[23]) quam[24]) continebat,

---

[1]) disturbantes. H. [2]) evulsione. H. [3]) maximo. add. H. [4]) om. H. [5]) se contulit. H. [6]) prostratusque. M. E. prostratus terrae. H. [7]) que. om. M. E. H. [8]) me. add. P. [9]) mihi fuiss. hoc ill. H. [10]) pro hoc. P. [11]) eternam mihi retribui felicitatem. P. [12]) verbis consolatoriis quibus. H. [13]) celesti. M. H. [14]) speciali. M. [15]) sed. P. [16]) et. P. [17]) om. H. [18]) quam plures exhibent, sed ex his unus. H. [19]) conversus. add. H. [20]) gunterius. P. [21]) qui. H. [22]) bohemicorum P. [23]) re distr. H. [24]) quantum. E.

[a]) Luc. 21. 18.

in breui fuit exinanita. ad nutum etiam ipsius[1]) serui dei, rex deo deuotus, monasterium quod beli[2]) nuncupatur incipiens, omnibus bonis ditauit. ubi modo[3]) geradus[4]) de venetia ueniens, uitam contemplatiuam agere cepit, qui constitutione fraterna[5]) pontifex electus, post obitum sancti regis, instante disturbatione christianitatis, lapidatus est, et[6]) per donum gratię spiritualis dignus éffectus est[7]) consortio martyrii.[8])

14. Nec hoc pretereundum estimo, quod in uiro dei quanti meriti post obitum foret, diuina uirtus in uita sua demonstare uoluit. quippe quotiens alicuius hominis infirmitas auribus suis intimata fuit, missa sibi pro medicina, quam tunc in presenti poterat habere, particula panis, pomi uel herbę aromaticę[9]) per mandatum, ut sanus surgeret transmisit, et dei propiciatione uerbum ipsius comitante, statim sospitatem recepit. post gloriosam ad cęlos ascensionem, et mirabilem patris confessionem[10]) saluator noster paucis corporaliter apparuisse perhibetur. per uisionem uero multos consolatos[11]) futurorum eos prescios esse docuit. quod et huic beato[12]) contigit. quadam igitur nocte repente per reuelationem quandam expergefactus, ueredarium[13]) quendam infra[14]) diem et noctem ad albam transsyluanam precepit festinare, et omnes in rure manentes ad munitionem ciuitatis[15]) quam citissime posset congregaret.[16]) predixit enim superuenturos christianorum hostes, uidelicet qui tum ungaris imminebant bissenos [17]), et possessiones eorum depredaturos. uix nuntius mandata regis compleuit, et ecce bessorum inopinata calamitas incendiis et rapinis cuncta deuastauit. per reuelationem dei meritis beati uiri concessam, anima-

---

[1]) eiusdem H. [2]) bel. P. [3]) monachus. H. [4]) gerardus. M. P. [5]) superna. H. [6]) om. P. [7]) est eff. H. [8]) martyrum. P. [9]) herbe redolentis mandatum. P. [10]) concessionem. P. consessionem. E. W. [11]) consolatus. P. E. W. [12]) regi. add. H. [13]) exper. vered. om. M. [14]) intra. P. [15]) munitiones civitatum. H. [16]) possent congregare. P. [17]) bessos. P.

bus hominum saluatis per receptacula munitionum condidit.[1]) post hęc[2]) defuncto beati regis per sociam cognato romanę dignitatis augusto heinrico[3]) pio, contigit[4]) chunradum[5]) imperatorem[6]) potestatis coronam per germanorum electionem assumere. qui destructa pacis tranquillitate, totius teutonie[7]) manu coadunata, pannonię terminos hostiliter conatus est inuadere. contra quem rex consultum habens episcoporum et principum, ad tuendam patriam armatos totius ungarię contraxit. prius tamen recolens, se nihil posse sine suffragio christi, manus et cor leuans ad ethera, dominę suę perpetuę uirgini dei genitrici marię[8]) iniurias commendans, talem erupit in uocem: si placet tibi domina[9]) tuę hereditatis opusculum[10]) ab inimicis deuastari, et nouellam plantationem christianitatis aboleri,[11]) non meę[12]) imputetur desidię, sed potius dispositioni uoluntatis tuę; si pastoris culpa quod meretur, ipse luat, in ouibus[13]) parce precor ouibus.[14]) his dictis quasi consolatus ab ea,[15]) fiducialiter aduersus hostem iter arripuit. altera mox die nuntius ad unumquenque ducem germanorum in castra ceu[16]) missus ab imperatore uenit, qui ei[17]) redeundi mandatum intulit.[18]) regredientibus aduersariis ubi[19]) sanctus respectu miserationis dei se uisitatum intelligens, christo suęque genitrici terrę prostratus[20]) egit, cuius se cum regni prouisione[21]) tutamini, precibus assiduis commendauit. imperator uero suorum tam repentina perterritus defectione sciscitans, qualiter res facta fuerit, cum nuntium reuersionis eorum non solus[22]) fuisse ueraciter sciret, per consilium diuinitatis ad corroborandam regis fidelissimi spem factum non dubitauit. seque dehinc

---

[1]) om. H. [2]) accidit p. haec. H. [3]) hainrico. P. [4]) om. H. [5]) counradum. P. [6]) imperatoriae. H. imperatorum. E. [7]) theotoniae. P. [8]) suas. add. H. [9]) mundi. add. H. [10]) tue partem bereditatis. H. [11]) abolere. E. [12]) precor. add. H. [13]) insontibus. H. [14]) parce precor ovibus. om. M. [15]) ipsa. P. [16]) om. M. [17]) eis. M. H. [18]) detulit. M. H. [19]) vir. sanctus. H. [20]) gratias. add. M. H. [21]) secum regni provisionem. M. [22]) suum. H.

ab inuasione regni eius timore iudicis ęterni retentus abstinuit.

15. In beato quoque[1]) constat apostolicum illud impletum, quod legitur, quoniam per multas tribulationes oportet nos[2]) intrare in regnum dei.[a]) et in libro sapientię: quos diligit deus castigat, et pater flagellat[3]) filium quem recipit.[b]) multis enim modis correptioni diuinę succubuit tribus annis in[4]) infirmitate continua laborans. postquam inde propiciationis dei medicamine conualuit, iterum[5]) ęterni per secreti consilii quandam examinationem,[6]) filiorum suorum obitus[7]) sensit imminere uerba,[8]) quos in ipsis infantię gradibus insontes quos[9]) dedit abstulit. de quorum morte mesticiam orbatam[10]) genitor propter amorem filii superstitis sanctę indolis uiri[11]) heinrici[12]) solatio compescuit, quem quasi iam unicum[13]) diligens affectu, precibus[14]) cottidianis, et eius genitrici uirgini perpetuę commendauit. hunc igitur[15]) fore superstitem, hunc regni eius[16]) heredem uotis omnibus desiderauit. et ut efficacior fieret ad tenenda tanti regiminis gubernacula, uirorum documentis orthodoxorum, usu lectionis cottidianę, fecit auditum utrumque prebere. ipse quoque paternę dilectionis ardore compunctus, libellum[17]) de institutione morum constituit,[18]) in quo fideliter et amicabiliter[19]) uerbis eum admonitionis spiritaliter[20]) alloquitur, instruens qualiter ante omnia debeat obseruare fidem catholicam, confirmare statum ecclesiasticum, honorem impendere dignitati pontificum, principes et milites diligere, iudicium obseruare, patientiam in cunctis actibus habere, hospites benigne

---

[1]) rege. add. H. [2]) om. H. [3]) omnem. add. H. [4]) om. H. [5]) iudicis. add. H. [6]) in. add. H. [7]) obitu sibi. H. [8]) praeter P. ceteri „verbera“. [9]) qui. M. H. E. W. [10]) obortam. H. [11]) pueri. H. [12]) henrici. P. [13]) caro. add. H. [14]) christo. add. M. H. E. W. [15]) sibi add. H. [16]) om. H. [17]) sibi. add. H. [18]) composuit. H. W. [19]) diligenter. H. [20]) spiritualiter. M. E. spiritalis. P.

[a]) Act. 14. 22. [b]) Hebr. 12. 6.

suscipere,[1]) benignius nutrire, sine consilio nichil agere,[2]) et ad exemplum statuere, orationis officium frequentare, pietatem et misericordiam cum cęteris uirtutibus possidere. talibus et his similibus disciplinis institutus iuuenis preclarus[3]) dispositioni ęternę cui cuncta subiacent obediendo MXXXI dominicę incarnationis anno uitam[4]) exitialem commutauit sempiterna, supernorum ciuium adiunctus contubernio. o quantus[5]) luctus omnium sed maxime principum, inter quos pater desolatus graue traxit suspirium. uidens enim se solum sine spe posteritatis adrelictum,[6]) pietatis affectu doluit. sciens uero scriptum: non esse prudentia non sapientia,[7]) non consilium contra dominum,[a]) et illud in canonibus: neminem propter obitum carorum suorum[8]) nimis[9]) debere contristari,[b]) deposito merore se totum contulit ad quęrendam largitatem misericordię diuinę; cenobiorum, et ecclesiarum ministros monachos et clericos diuersis elemosinarum donis consolatus, expensas totius sumptus que[10]) ad presens habere poterat, peregrinis niduis[11]) orphanis erogauit. exterorum etiam monasteriorum ac prouinciarum uiros[12]) munificentię regię donis innumeris per nuntios suos sępe uisitauit. grauedinem morum, quam in iuuentute perceperat,[13]) usque ad finem uitę tenuit, uix unquam ad risum labia mouit, recolens scriptum: risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.[c]) semper sic apparens, ac si ante tribunal christi staret. interioribus oculis eius presentia uultus[14]) uerendo conspiciens, christum in ore, christum in corde, christum in cunctis actibus se gestare demonstrauit. diem

---

[1]) recipere. P. [2]) maiores suos ante oculos semper ad exempl. add. H. habere. add. E. [3]) ad nutum dispositionis. H. [4]) hanc. add. H. [5]) ortus est ingens luctus. H. [6]) derelictum M. H. E. W. [7]) non est. sap. n. est prud. n. est cons. M. H. [8]) om. M. H. [9]) nimium. H. [10]) quem. P. [11]) et. add. H. [12]) exterarum etiam monasteria provinciarum munificentiae. H. [13]) receperat. [14]) presentiam vultu. M. H.

[a]) Prov. 21. 30. [b]) I. Thess. 4. 12. [c]) Prov. 14. 13.

ultimum semper ante[1]) cordis, desiderio toto mentis statuens[2]) iam inter patrię cęlestis ciues, quasi quadam[3]) angelicę conuersationis habitu cupiebat habitare. cunctis deo placitarum uirtutum generibus adornatus et[4]) in iusticia sanctitatis[5]) coram ipso omnibus[6]) diebus uitę suę conuersari decreuit. ut in eo iam[7]) quędam futurę glorificationis species[8]) clarescere uideretur. tandem per[9]) misericordiam dei dignus centuplicitate[10]) retributionis brauio, tactus febri cum sibi transitum[11]) imminere non ambigeret, accersitis episcopis et primis palatii de christi nomine gloriantibus, primum cum eis tractauit de substituendo pro se rege, petro[12]) uidelicet sororis suę filio, quem in uenetia genitum, ad se uocatum iam dudum exercitui suo prefecerat ducem. deinde monuit illos paterne fidei[13]) orthodoxam seruare, quam acceperant, amare iusticiam, uincula fraternę karitatis diligere, castitati operam dare, humilitatis studio inuigilare, pre omnibus uero nouelle christianitatis plantationi custodiam adhibere. His dictis manus et oculos leuans ad sydera sic exclamauit: regina celi reparatrix inclita mundi, tuo patrocinio sanctam ęcclesiam cum episcopis et clero, regnum cum primatibus et populo supremis precibus committo, quibus ultimum uale dicens manibus tuis animam meam commendo. Instabat tunc sollempnitas precipua celebris angelis et hominibus dies assumptionis eiusdem perpetue uirginis marię, in cuius gaudio si dissolutio sui corporis fieret, maioris spem misericordię se sperans habiturum, precibus hoc spiritualibus postulauit, suspiriis et lacrimis obtinuit. Aderat igitur felix illa dies per eius obitum felicior mox futura, circumstabat cum clero

---

[1]) ante se. M. E. ante oculos. H. [2]) stat. toto. men. desiderio. H. se iam inter. M. [3]) quodam. M. H. E. W. [4]) om. H. [5]) sanctitate et iustitia. H. [6]) om. P. [7]) ceu. add. H. [8]) spes. M. H. E. [9]) om. M. [10]) centuplicate. P. [11]) diem transitus. H. [12]) „petro — ducem.“ P. om. ceteri. [13]) fidem. M. E. paterne mon. ill. fidem orth. servare. P. Hic desinunt codices Legendae maioris. Quae sequuntur e codice Pestiensi coniectura et stili similitudine ducti supplevimus.

paternitas ępiscoporum, cum manu ministrorum, principatus chorus comitum. ubi rex domino dilectus in medio iacens, accepto unctionis spiritualis sacramento, sanctam animam, corporis et sanguinis domini nostri ihesu christi uiatico recreatam anno dominice incarnationis mill. XXXVIII-uo in manus uirginis perpetuę, et sanctorum angelorum cęlestis quięti beatitudinis inferendam tradidit. factus est planctus maximus suorum, gaudium angelorum. sed hic planctus postea uersus est in leticiam sempiternam tam nascentium, quam et uiuentium. ad exequias funeris eius ex omnibus pannonie plagis concurritur. corpus ad sedem regalem albam uidelicet ciuitatem deducitur. et quoniam ecclesia beatissimę uirginis ab ipso constructa nondum erat dedicata, inito consilio statuunt pontifices prius basilicam sanctificare, deinde corpus terrę commendare. perfecta dedicationis sollempnitate, corpus sanctum in medio domus sarcophago candidi marmoris imponitur.

CAPUT VI.

16. Quieuit itaque corpus beatum eodem in loco, non apertis declaratum signorum inditiis XLV annis miro disposicionis ipsius secreto qui in sanctis suis predicatur et est mirabilis, ut humi grauedine pressum et in puluerem redactum, et hic tempore predestinato declarari dignius, et in resurrectionis die renouari gloriosius haberetur. Hoc quorsum respiciat, quid designet, oculis spiritualibus delectat intendere. quod sine preordinationis affectu diuine factum non estimatur. forsitan quedam in ipso terreni pulueris aspersio igne diuinę examinationis purificanda remanserat, sine qua regnantes quasi quodam iurę potentiali uitam presentem uix aut nullatenus transire queunt. Adueniente uero tempore declarationis eius, et laudabilis gratię eius quam per ipsum gens hungarica promeruit in mundo diuulgande, rex ladizlaus qui tunc rempublicam amministrabat, uniuersa honestate morum preclarus habitus, et uirtutum fulgore conspicuus, laudibus et seruitio dei perfecte deditus, spiritus paracliti perlustratione tactus, habito colloquio cum episcopis et primatibus et totius pannonię sapientibus, triduanum cunctis indixit ieiunium, ut quod communi catholicorum utilitati, spiritus sancti donis, animarum et corporum salutem operantibus uideretur fore proficuum, com-

muni cunctorum deprecatione, ieiuniis et elemosinis fundata per manifestationem signorum a christo deberet essę querendum.

CAPUT VII.

17. Completo igitur tertie diei ieiunio et uespertinali officio, cunctis diuine miserationis beneficia per beati uiri meritum prestolantibus, subito plebem suam christo uisitante miraculorum insignia per amplitudinem domus sanctę funduntur celitus, quorum pluralitas, quoniam ipsa nocte numerum excesserat, illud euangelicum hic libet introducere, quod mundi saluator iohanni per nuntios sciscitanti an ipse sit qui uenturus est, per responsum mandauerat: ceci uident. claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur manci corriguntur paralitici curantur. Juuenis quidam omnibus membris dissolutus, annis XII paralisim passus, manuum et pedum carebat officio. qui parentum adiumento uectus illuc, recepta totius corporis sospitate signorum fecit inicium. atque ad altare haud segniter currens omnium christo laudes clamantium augmentauit gaudium. Alius quoque puer septennis a natiuitate contractis neruis, genibus et manibus reptabat, quem parentes fide pleni, beati uiri suffragio conferentes, ipsi prostrati iuxta sepulchrum secum posuerunt gratiam petituri. quam mox consecuti contractionem neruorum in filio distendi mirabantur. et consolidatis genibus et plantis, omnes eum incedentem uidentes, christi nomen in beati uiri meritis laudabili clamore glorificauerunt. quem rex deo deuotus pre nimio gaudio lacrimatus, manibus a terra leuatum ad altare portauit. ubi imno laudis prolato, gratias deo pro beneficiis prestitis in sanitate pueri, cum omnibus qui aderant fauorabiliter egit. Sic totam noctem deus, per famuli sui uenerationem, multorum fulgoribus signorum, mirabiliter perlustrauit. populus uero uigiliis et orationibus intentus, miraculum unum quodque laudum clamoribus manifestum facere non cessabat.

CAPUT VIII.

18. Mane facto die post assumptionem sanctissime uirginis marie quinto, conuenientibus in ecclesiam cum rege principibus, cum clero pontificibus, primum missa pro defunctis est celebrata, deinde sublata tabula marmorea quę pauimento prominebat, postquam per-

uentum est ad tumbam, tanta flagrantia suaue redolentis odoris in apparitione ipsius omnes qui aderant circumdedit, quod in medium paradisi deliciarum domini se raptos opinarentur. ipsa quoque tumba plena fuit aqua parum rubenti, quasi oleo permixta, in qua uelud in balsamo liquefacto quieuerant ossa pretiosa. quibus in mundissimo linteamine collectis, in ipso liquore diutissime quesitus est anulus qui beati uiri dextere fuerat impositus. quo non inuento ceperunt quidam iussu regis aquam in caldarias argenteas et dolia effundere, ut euacuato sarcophago certior anuli fieret inuentio. sed mirum in modum, quanto magis liquor effundebatur, tanto plus eo crescente tumba replebatur. quo uiso miraculo haustam aquam loco suo restituerunt, nec tamen ea refusa magis ob hoc tumba repleta fuit. tunc cooperto sepulchro laudes et gratias diuine pietati proclamantes, cum inuento thesauro beatissime marie dei genitricis et perpetue uirginis, altare repecierunt. Interim deus qui est mirabilis in sanctis suis effusis sue largitatis beneficiis, tam extra, quam intra basilicam salutem petentibus miraculorum suorum signis, se presentem esse notificauit, in tantum, ut tempus illud dominice conuersationis inter homines uideretur reuolutum, de quo legitur: omnes qui habebant infirmos uariis languoribus ducebant illos ad ihesum, et curabantur. hec omnia uirtus diuina non solum ipsa die, sed post, tempore multo, per merita famuli sui dignata est operari, quod etiam de aliis regionibus audita beneficiorum dei fama, pro recuperanda sanitate, diuersarum inualitudinum morbis laborantes, ad suffragium uiri beati cum magno desiderio conuolarent. Comitissa uero quedam nobilitatis eximie matrona, nomine machtildis, tribus continuis annis dolore uiscerum grauata iam morti proxima fuit. que a suis in feretro delata, mox ipsa die qua beati uiri tumulum attigit, paulatim se meliorari sensit, ac in breui uite prioris sospitate recepta magnalia dei per famuli sui merita in se remunerata diuulgauit. cetera uero miraculorum dei prodigia pro dilectione famuli sui celitus ostensa, non ideo quod fastidirem non scripta dereliqui, sed quia non soli mihi pluit dominus, qui super bonos et malos solem suum clarescere facit, beneficiorum ipsius multiplicitatem cunctorum proficuo consulentem, innumeris sapientibus, quos hungaria fouet et amplectitur, stilo declarandam commendaui.

§. 19. Illud tantum in fine codicis addere decreui, quam miro pietatis dei munere diu quesitus, et non inuentus anulus, cum ipsa beati uiri dextera post translationis eius triennium est manifestatus. Monachus quidam nomine mercurius, qui in ordine clericatus thesauri perpetue uirginis custos fuerat. ętiam per amorem celestis patrie seculo renunciauerat, ipsa hora, qua tumulus fuerat apertus nequid sanctarum reliquiarum raperetur redargutione regali procul inde est remotus. cui tristi uultu in choro residenti iuuenis quidam albis uestibus uestitus, pannum inuolutum tradidit dicens: hęc tibi committo seruanda, cum tempus fuerit manifestanda. post completionem officii sacri monachus in angulo domus, pannum expandit, integramque uiri dei manum cum anulo mirifici operis cernens expauit. atque secum nemine sciente ad monasterium, quod rex suo regimini commendauerat, tempus a iuuene sibi predictum a christo prestolaturus, deportauit. ibi diu solus absconditi in agro thesauri custodiam et excubias exercuit. post, fundatores ipsius cenobii conscios fecit. ad ultimum appropinquante tempore rei declarande, regis ad noticiam perduxit. qui mox coadunatis ępiscopis et hungarię primis multis a christo miraculorum ibi beneficiis erogatis, eleuande uiri dei dextere diem statuit celebritatis.

CAPUT IX.

20. Quid est fratres, quod ceteris membris dissolutis, et in puluerem carne redacta penitus disiunctis, sola dextera manus, ossibus, cute cum neruis adherente sue seruauit decus integritatis? non aliud arbitror diuini consilii profunditatem in huius excellentia facti uoluisse declarare, nisi dilectionis opus, et elemosine cunctos uirtutum gradus ascendere. Vnde ueritas dicit in euangelio: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. et item: date et dabitur uobis. item in alio loco: sicut aqua ignem, ita elemosina peccatum extinquit. merito beati uiri dextera fuit aliena putredinis. que semper pietatis flore reuirescens in alendis pauperibus nunquam uacua (fuit) donis erogationis, subuenit quidem in necessitate positis, liberauit oppressos a iugo captiuitatis, uestes et hospitalitatem prebuit peregrinis, uiduarum et orphanorum miserias et indigentias suas essę computauit. cenam et mandatum dominicum in lauandis egenorum

pedibus cottidie renouanit. elemosinas non de rapina uel aliorum dampno, sed de proprii sumptus sacculis effluere fecit. ut domos dei diuites efficeret, sibi uoluntatem habendi subtraxit. sicque cunctis ad nutum diuinitatis proficiens, carnem suam cum uiciis et concupiscentiis crucifixit. inde sibi est corporis et dextere delectabilis et miranda ueneratio, inde dulcis et felix ęterne uitę retributio. inde desiderabilis supernorum ciuium cohabitatio, ubi ipsum irradiat semper lucens et indeficiens splendor unius summeque deitatis, patris et filii, et spiritus sancti per infinita secula seculorum. Amen.

III.

Hartvici episcopi: Vita sancti Stephani regis.

Ad interpolationes facilius discernendas dedimus scriptura rariore partes Legendae minoris; — literis italicis propria codicum Hartvicianorum; — crassioribus peculiaria codici duntaxat Pestiensi. Cetera sunt Legendae maioris, quam Hartvicus totam transcripsit.

Accesserunt: A. Vita S. Stephani excerpta e libro cui titulus: „Cronica Ungarorum iuncta et mixta cum cronicis Polonorum.“ Edit. Bielowsky. B. Caput III. operis Hartviciani, e tabulariis ecclesiarum Albensis, Vaciensis, et Strigoniensis. C. Excerpta e Sermonibus Fratris Pelbarti de Temeswar, exeunte seculo XV-o habitis. D. Pars Legendae et Laudes S. Stephani regis e breviario Strigoniensi an. 1515. E. Excerpta e vita S. Adalberti episcopi et martyris. —

PRAEFATIO.

Domino[1]) suo colomanno[2]) regi precellentissimo, hartuicus[3]) episcopus officium spiritale[4]) per misericordiam dei consecutus, post istius uitę terminum, felix illud euge sempiternum. Incepturus opus domine mi rex inclite, quod in uestro regali precepto de uita beati regis stephani[5])

---

[1]) domno R. [2]) Calamanno. L. Cr. [3]) Cartuicus. R. L. T. Carthuitus. Cr. [4]) speciale L. T. [5]) de bona vita regis Stephani. Cr.

potentialiter iniunexistis, diu rebellem ingenioli mei perpessus sum inscitiam,[1]) ob hoc presertim, quod priscianus auctor[2]) artis grammaticę, medullitus mihi notus[3]) olim, longe digressus, faciem suam, quasi caligine quadam circumfluam mihi decrepito iam facit obscurissimam. Verumtamen parte ex alia, dum uestrę dignitati (sic) intuitus reuerentiam, incerta grauarer meditatione, tandem omnium uirtutum lux et gemma dubietatem anxię mentis deuicit obedientia. Cuius forti presidio deficere uolens in me[4]) uires inchoandi operis recepit fiducia. Sed quoniam sepe fiducialiter acta res inuidie fomitem generat, precor genibus flexis uestrę triumphalis excellentię sublimitatem, ut manibus regalis defensionis hoc suscipiatis opusculum, ne male sonantium positio dictionum, uel confusi ordinis enormitas uestrum cum legeritis offendat oculum. Cui si forsitan aliquid[5]) indignum occurrerit offendiculum, malo codicem ut ignis comminuat incendium, quam ad tertium[6]) liuore plenum perueniat oculum. Igitur quia boni quicquid est, ex conditoris misericordia manat, ex ipsius dono sermo ceptus talia personat.

Titulus operis in codd. Incipit vita sancti Stephani regis ungarorum, et apostoli eorum. Runensis. Legenda de sancto Stephano rege Vngarie inperfecta. Vindobonensis. Incipit legenda sancti Stephani regis vngarie. Lunaelacensis et Tegernsensis. Incipit cronica hungarorum, iuncta et mixta cum cronicis polonorum et uita sancti Stephani. Varsaviensis. Sancti Stephani hungarie regis vita. Corsendonckanus. De sancto Stephano rege et patrono regni hungarie. Editio Cracoviensis anni 1511.

CAPUT I.

1. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum. *huius*

---

[1]) inscienciam. L. T. [2]) actor L. T. autor. Cr. [3]) ignotus. L. T. [4]) in me videns. Cr. [5]) quod si aliquod. Cr. [6]) certum. R. L. T. uestrum. W. E. quam ut liuor ad plenum perueniat oculum. Cr. liuore plenus E.

patris datum optimum et donum perfectum in omnes large proueniens, quia nullum spernit, sed omnes homines uult saluos fieri[1]) *et ad agnitionem ueritatis uenire*,[2]) *ad hungaros usque quos christianorum flagellum quondam fuisse constat diffusum est.*[3]) neque enim quippiam boni potest in rebus existentibus esse uel fieri, absque beneficio gratis uenientis miserationis dei. oculis quidem diuinę prouidentię, quibus sibi famulantium cęlestium uirtutum statum inconcussum secundum placitum suum intuetur, hisdem etiam hominis perditi restaurationem dignatus misericorditer contemplari et operari, ut quem imaginis sue dignitate creando decorauerat, paterni regni coheredem fieri per incarnationis suę sacramentum mirabiliter efficeret. perfectis igitur in redemptore nostro patriarcharum ac prophetarum oraculis, per uirginem ineffabiliter nascendo, per crucis passionem, ac mortis assumptionem tercia die resurgendo, cum discipulis suis XL diebus conuersando, postquam ipsis cernentibus cęlorum alta penetrans patris dextere naturaliter et potentialiter est associatus, inde spiritum sanctum paraclitum a patre et a se procedentem in filios adoptionis mirabili sonitus uehementis aduentu transfudit. qui linguis in igneis apparens, eos omnium linguarum sciencia diuites effecit, et miraculorum insigni potencia uirtute clarifica mirificauit. cuius ardore caritatis inflammati, secundum quod eis saluator noster ante preceperat, euangelicę predicationis functi legatione, totum mundum diuini semina uerbi spargendo perlustrauerunt. quidam eorum regna cum regibus, quidam principatus cum principibus, quidam partes et diuisiones prouinciarum cum prefectis et prepositis ad christianę religionis cultum perduxerunt. et in tantum feruore sancti spiritus exardescente per orbem uniuersalis ęcclesie fundamenta sunt stabilita, quod ętiam

[1]) saluari fieri. V. [2]) peruenire. Cr. [3]) Quae sequuntur ceteri codd. omittunt. Subiungunt statim: Quod qualiter etc. in fine huius capitis.

ipsa mundi tocius metropolis roma, cum monarchia dignitatis imperatorię christi fidei colla submittens, uanitatum erroribus renunciauit. non remansit patria neque natio, ubi quorumdam miserationis christi non fuisset assumtio. unde contigit diuinę pietatis intuitum in filios perdicionis et agnorantię populum rudem et uagum, creaturam dei essę se nescientem, hungaros uidelicet pannonię patriam inhabitantes clementi uisu de cęlo prospicere, ut quos ad ulciscendas preuaricationes christianorum de sedibus naturalibus in occiduas partes occulto perpetuitatis consilio prius exscitauerat, hos tempore suo predestinationis iam instante, de uia iniquitatis ad iusticię semitam de mesticie nebula ad spem in ęternum permanentis perduceret retributionis. *Quod qualiter et quando factum sit, stili officio memorię commendare congruum duximus.*

CAPUT II.

2. *Ea siquidem tempestate qua gens prefata*[1]) *dei ęcclesiam depopulabatur* erat in ea princeps *quidam quartus* ab illo, qui ingressionis hungarorum in pannoniam dux primus[2]) fuit nomine Geysa, seuerus quidem et crudelis, ueluti potentialiter agens in suos, misericors autem et liberalis in alienos,[3]) et precipue in christianos. ritu paganismi[4]) adhuc quidem obuolutus, tamen appropinquante spiritualis fulgore carismatis cum omnibus circumquaque positarum prouinciarum uicinis de pace[5]) cuius nunquam antea fuit amator, cepit attente tractare, ut iam in illo posset agnosci, cuius filius desideraret fieri, secundum dictum saluatoris nostri dicentis in euangelio: beati pacifici quoniam filii dei uocabuntur. statuit insuper preceptum[6]) cunctis christianis *ducatum* suum intrare uolentibus hospitalitatem et securitatis gratiam

---

[1]) hungarica. add. V. [2]) primitus. Co. Cr. [3]) alios. Co. Cr. [4]) paganissmo. T. paganismo. Cr. [5]) „cuius — amator.“ omittunt. R. V. L. T. [6]) statuit enim insup. prec. L. stat. enim per prec. T.

exhiberi[1]), clericis et monachis potestatem concessit presentiam suam adeundi. quibus uoluntarium libenter auditum prebens, orthodoxe fidei semen pectoris in orto satum delectabatur germen emittere.

3. Quid plura?[2]) adest tempus cęlitus[3]) dispositum. credidit ipse cum familiaribus suis et baptisatus est,[4]) omnes dicioni sue subditos se pollicens christiano nomini mancipaturum. cumque nimium ęsset sollicitus de rebellibus domandis, et ritibus sacrilegis destruendis, et episcopatibus secundum estimationem suam ad profectum sanctę ęcclesie[5]) statuendis, mirabili uisione noctu consolatus eum dominus,[6]) fecit astare sibi iuuenem delectabilem aspectu, qui dixit ei: pax tibi christi electe,[7]) iubeo te de sollicitudine tua fore securum. non tibi concessum est quod meditaris, quia manus pollutas humano sanguine gestas. de te filius nasciturus egredietur, cui hęc omnia disponenda[8]) diuine prouidentię consilio commendabit dominus. hic erit unus ex regibus ęlectis a domino, coronam uitę secularis commutaturus ęterna.[9]) Verum tamen uirum spiritali legacione tibi[10]) transmittendum, honorabiliter suscipito, susceptum uenerabiliter habeto,[11]) timore perditionis ultime perterritus, et amore raptus iugiter manentis spei quę non confundit,[12]) exortationibus eius non fictum cordis fidelis[13]) assensum prebeto.

CAPUT III.

4. Expergefactus princeps uisionem stupidus[14]) prius secum, post[15]) cum christi fidelibus et suis pertractans,

---

[1]) hospitalitatis et sec. grat. exhib. T. exhiberi. om. Co. [2]) quid plura. om. L. T. [3]) a deo. T. [4]) waptisatus est. T. [5]) ecclesiae sanctae. V. Cr. [6]) mirab. vis. noctu cons. eum. om. L. T. nocte. Cr. [7]) dilecte. L. T. [8]) dispensanda. V. [9]) corona vit. sec. com. eternam. Cr. [10]) speciali tibi legac. L. T. [11]) honorifice susceptum venerabiliter habeto et exhort. L. T. honorificabiliter. R. V. [12]) „timore — confundit.“ om. ceteri. [13]) non ficti cordis sed fidelis. L. T. [14]) visione stup. Co. Cr. [15]) postmodum. T.

deo gratias pauimento manibus expansis[1]) adherens humiliter egit, se principatumque suum cum filio nascituro custodie illius qui non dormit neque dormitat lacrimis fusis commendauit. dum miratur ergo de uiro diuinitus predicto, nunciatur ei beatum adalbertum boemiensis[2]) ęcclesie pontificem ad se uenturum,[3]) propter conuersionem ipsius, et fidei non ficte profectum domino deo laudis hostiam oblaturum. oritur leticia nouis christi militibus inenarrabilis. dux obuiam tyroni christi cum fidelibus quibusque procedit, et honorabiliter suscepit,[4]) et ut per uisum monitus est, propter timorem et amorem dei,[5]) modis omnibus obedientię filium ei se fore demonstrauit. igitur iubente principe fit ubique congregatio gentis indomite, per sanctum episcopum fiunt et per suos[6]) exortationes continue, conuertuntur[7]) et baptisantur alumni patrie, statuuntur multis in[8]) locis ęcclesie. lux quippe quę illuminat omnem hominem, tenebris expulsis in hungaria cepit enitere, et impleta sunt in ea uerba prophetię dicentis: gentium populus, qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam. lux lucis inuisibilis christus est, quem tunc gentes uidere meruerunt, quando reuocati de tenebris, ipsum uerum deum, et hominem uerum essę[9]) perfecte crediderunt. *nec hoc silentio pretereundum est, quod ut omnis ambiguitas tolleretur de medio, ne forte predicte uisioni[10]) solius uiri parum uideretur inessę fidei, uxorem eius iam propinquantem[11]) partui tali uoluit uisione diuina gratia consolari. apparuit namque illi beatus leuita et prothomartyr stephanus, leuitici habitus ornatus insignibus, qui eam alloqui taliter cepit: confide in domino mulier, et certa esto, quia filium paries, cui primo in hac gente corona debetur et regnum. meumque nomen illi imponas.[12]) cui cum admirans mulier re-*

---

[1]) extensis. L. [2]) boemensis. L. [3]) esse. add. L. T. [4]) suscipit. R. [5]) „propter tim. et. am. dei.“ om. ceteri. [6]) suas V. Co. Cr. [7]) convertuntur. om. T. [8]) om. V. [9]) esse verum. Co. Cr. esse vere R. [10]) visione. V.[11]) appropinquantem. L. T. Co. Cr.[12]) reponas. Co. Cr.

sponderet: quis es domine, uel quo nomine nuncuparis? ego sum inquit stephanus prothomartyr, qui primus pro christi nomine martyrium pertuli[1]) *quo dicto disparuit.*

5. Nascitur interea predictus a domino filius principi, quem secundum prophetam, antequam in utero conciperetur dominus nouit, *et cui antequam nasceretur per prothomartyrem suum nomen indidit.* hunc domino dilectus adalbertus episcopus crismali baptismate secundum credulitatis sue ueritatem intinxit, et susceptor suus ipse fuit.[2]) nomen sibi impositum est stephanus, quod alienum a consilio dei fuisse non credimus.[3]) stephanus quippe grece coronatus[4]) sonat latinę. ipsum quidem[5]) in hoc seculo coronare deus uoluit ad regni potentiam, et in futuro corona beatitudinis semper manentis redimire decreuit, ad percipiendam uitę iugis[6]) indeficientem gloriam. Strigoniensi uero oppido natiuitatis exordium habuit, et puer adhuc scientia grammaticę artis ad plene[7]) imbutus[a]) est. creuit infans *diligenti* et regali nutritus educatu,[8]) qui transacta puericia, postquam gradum adolescentie primum ascendit, conuocatis pater suus hungarię primatibus cum ordine sequenti,[9]) per communis consilium colloquii, filium suum stephanum, post se regnaturum populo prefecit, et ad hoc corroborandum a singulis sacramentum exegit. post hęc plenus dierum anno dominicę incarnationis DCCCC-mo XC-mo VII-mo[10]) seculi nequam erumpnas celesti[11]) mutauit gaudio, et eodem anno beatus episcopus adalbertus causa predicandi uerbi[12]) dei prusciam[13]) ingressus, ibi palma martyry coronatus est. post obitum uero patris[14]) stephanus adhuc

---

[1]) tuli. V. [2]) „et suscept. suus ipse fuit." habet etiam R. ceteri omittunt. [3]) non credim. fuisse. L. T. [4]) corona. R.V. T. [5]) et. add. T. [6]) iugis vite. L. T. [7]) ad plenum L. T. [8]) diligenti educatu nutricis L. educatu nutritus. T. [9]) cum ord. clericali. L. T. [10]) nongentesimo septimo. V. [11]) celestis. V. [12]) verbum. T. [13]) prussiam. V. T. [14]) beatus. add. T. [a]) e Leg. min. §. 3.

adolescens, fauore principum et plebis, in patris solium laudabiliter prouectus,[1]) ardentiori animo[2]) cepit ueritatis propagator existere, quia quamuis adolescentie annis floreret, non tamen cor in ore, sed os in corde habebat. scripturarum diuinarum quibus adprime flagrabat non immemor, iudicium et iusticiam in oculis proponebat, iuxta illud salomonis: audiens sapiens disciplinam[3]) sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit. in omnibus itaque mandatis dei fidelis dispensator existens, apud se cepit meditari.[a]) *qualiter subiectum sibi populum unius dei cultui manciparet, sed quia perpendebat id absque uicinarum gentium confederatione fieri minime posse,*

CAPUT III.[4])

6. Regnoque pannonico ipsius beati iuuenis nutum attendente[5]) pacem cum exterarum prouinciarum populis fideliter statutam[6]) roborauit, ut eo securius, quod in mente tractabat, in nouella plantatione christianitatis explere sufficeret.[7]) sed aduersarius totius bonitatis inuidia plenus et malicia[8]) diabolus, ut sanctum[9]) christi tyronis propositum disturbaret, intestina contra eum bella[10]) commouit. quoniam eius instinctu plebs gentilis christiane fidei iugo colla submittere renuens, cum principibus suis a dominio ipsius se subtrahere moliebatur.[11]) ceperunt enim urbes eius desolari, predia uastare,[12]) possessio-

[1]) profectus. Cr. [2]) attentiori animo. T. ardentiori anima. V. [3]) audiens sapientiam sapientior. Cr. [4]) in Ms. R erasum et *r* alio atramento substitutum. [5]) „regnoque — attendente." non comparet in ceteris. [6]) „institutam." ceteri. [7]) expleret. V. suff. om. [8]) inuidie plen. et malicie. V. T. Cr. [9]) sancti Cr. [10]) bella cont. e. Cr. bella movit. T. [11]) moliebantur. Cr. [12]) vastari. R.

[a]) e Leg. min. §. 4.

nes depredari, seruos cedere, et ut cetera sileam ipsi insultare. cumque declinare de uia sua peruersa nollent,[1]) nec furor eorum saciaretur, dux ipse confidens de ęterna uirtute, ad superandam hostium rabiem, cum multitudine exercitus sui, sub uexillo deo dilecti potificis martini sanctique martiris georgii processit. illis forte diebus urbem que uulgo besprem[2]) nuncupatur obsederant. hoc ad conuitia eius commouentes scilicet, ut ubi *ducalis* accessus conuersatio habebatur, ibi consederent, quo facilior ingressus ad alia presidia[3]) occupanda inueniretur. ipse uero diuina preeunte[4]) clementia, aduersus eos consurrexit, et hic in fide, illi uero tantum in armis confidentes, utrinque[5]) decertauerunt. quos omnes eum protegente uictoriosissime crucis signaculo, patrocinantibus dei genitricis ac perpetue uirginis marie meritis, sub uexillo deo dilecti pontificis martini, sanctique martyris georgii ducibus eorum interfectis, in breui suo seruicio subegit, et baptismatis unda lotos, unum deum colere, monita salutis per fideles sacerdotes eis distribuendo compulit.[6]) tandemque[7]) hostibus uictis et ex parte captis et alligatis,[8]) dux uictor cum suis uictorię dona reportauit. quapropter de possessionibus eorum tam in agris quam in uillis sapienter diiudicauit, non sicut quondam saul, qui deuicto amalech[9]) de spoliis eius domino prohibente meliora elegerat. sed quoniam[10]) pannonia beati pontificis martini natiuitate

---

[1]) cumque de via sua declinare perversa nollent. L. T. [2]) hesprem. R. Vesprem. V. L. T. Vesprim. Cr. [3]) predia. V. [4]) clem. preeu. V. preveniente clem. T. [5]) utrique. L. T. [6]) „quos omnes — compulit.“ om. ceteri. Excerpta sunt e Leg. mai. §. 6-o. [7]) in Ms. ***m*** erasum, *que* adscriptum *tandᵉq*; [8]) „et alligatis.“ om. R. [9]) agag rege amalech. V. [10]) „sed quoniam pannonia — episcopiis“ excerpta sunt e

gloriatur, cuius[1]) patrocinantibus meritis uir christo[2]) fidelis ut iam dictum est, de hostibus uictoriam reportauerat, nihil ex rebus eorum[3]) ad opus sui[4]) reseruans,[a]) inito[5]) cum theophilis consilio iuxta fundum sancti presulis, qui sacer mons dicitur *ubi sanctus martinus cum adhuc in pannonia degeret orationis*[6]) *sibi locum assignauerat*, sub[7]) titulo ipsius monasterium constituere cepit,[8]) possessionibus et redditibus cunctisque[9]) sufficientiis ditauit, et ipsius suffragio, domitorum decimationibus, simile fecit ępiscopiis.[10]) *constituens ex omnibus*[11]) *eorum facultatibus tam stricte decimas dari,*[12]) *ut si cui decem liberos habere contingeret, decimam prolem sancti martini cenobio*[13]) *daret.*

CAPUT IV.

7. Deuictis uero[14]) hostibus christi miles gaudio spiritali[15]) repletus,[16]) tocius ingenii consilium ęuangelici seminis decreuit fore receptaculum. elemosinis et orationibus uacans frequenter pauimento sanctę domus adherens, lacrimis effusis perfectionem propositi sui dei commisit uoluntati. ut qui sine ipso nichil agere ualeret, opitulante disposicionis ipsius[17]) expletione, bonum quod cogitauerat, cum inceptione uirtutum, ad finem perducere posset. Ad hoc igitur[18]) incipiendum et consummandum, quoniam fidelium christi consultum[19]) habebat necessarium;[20]) nunciis et litteris in omnes partes suum diuulgauit desiderium. inde[21]) multi presbiteri et clerici spiritus paracliti uisita-

---

Leg. mai. §. 8-o ubi praecessit narratio de adventu Ascherici, et institutis episcopatibus. [1]) etiam. add. T. [2]) deo. L. T. [3]) suis. L. T. [4]) suum. L. T. [5]) merito. Cr. [6]) orationis ibi loc. L. [7]) in tit. L. T. Cr. [8]) construere ex eorum possessionibus. V. [9]) cunctos sufficienter dit. Cr. [10]) episcopis. L. T. V. [11]) om. T. [12]) servari. V. [13]) cenobio. S. Martini. V. T. [14]) ergo. L. T. [15]) speciali. Co. [16]) repletur. T. [17]) dispensationis ipsius R. „ipsius" om. V. [18]) ergo. Cr. [19]) consilium. L. T. [20]) missis. add. L. T. [21]) unde. L.

[a]) ex Leg. min. §. 5-o.

tione conpuncti, relictis sedibus propriis ęlegerunt pro domino peregrinari, abbates et monachi nichil proprium habere cupientes, sub tam religiosissimi principis patrocinio[1]) et moderamine regulariter uiuere deliberauerunt. inter quos uitę regularis pater ascricus[2]) cum suis discipulis aduenit, quorum unus nomine bonifacius in loco patris abbas deinde[3]) constitutus, dum a[4]) beato rege causa predicationis in inferiores hungarię partes esset missus, in ceruice[5]) percussus gladio, licet postea superuiueret, non est martyrio priuatus.[6]) venerunt et alii duo de terra poloniensi,[7]) heremiticam uitam causa contemplationis eligentes, quorum unus andreas nomine per confessionis[8]) meritum angelicis choris est associatus testibus miraculorum signis per ipsum a domino factis. alter benedictus pro christo sanguine fuso misericorditer laureatus. ascricus abbas cum suis honorifice susceptus, ad radicem montis ferrei[9]) cenobium sub titulo sancti patris benedicti construxit, ubi usque hodie congregatio monasterialis, disciplina regulari pollens, temporalium sustentatione copiarum, *ex donatiuis sancti ducis*, superhabundans, non est alicuius egens, nisi ut suos et aliorum pedes,[10]) secundum euangelium, cottidianis precibus et lacrimis lauet. cum is[11]) dei seruus princeps christianissimus aliquando communiter cum omnibus, aliquando singillatim cum uno[12]) quoque eorum colloquium habens, in tantum diuinis conspectibus se probabilem reddidit, ut omnes militię sueę comites ad ueri dei culturam conuerteret. quos uero[13]) alienę uię sectatores repperit minis terroribusque subiugauit.[14])

---

[1]) „patroc. et.“ om. L. T. Co. Cr. [2]) Asscricus. R. Assericus L. T. Astricus. Co. Cr. [3]) om. V. [4]) om. L. T. „a beato rege. cau. pred. missus.“ [5]) vertice. L. T. Co. Cr. verticem. V. [6]) n. e. priv. mart. T. [7]) poloniae. Co. [8]) professionis L. [9]) „precepto sanctissimi ducis.“ add. V. [10]) excessus. V. [11]) his. V. L. T. Co. Cr. [12]) om. V. [13]) „quos aliene sect. vie. L. T. Co. Cr. [14]) in Ms. ministerioribus-

ipsosque secundum ęcclesiasticam doctrinam instituens, iugum et legem disciplinę subpositis ceruicibus adhibuit, omnesque immundicias malorum prorsus de struxit.[1])

8. Post hęc prouincias in decem partitus ępiscopatus et[2]) strigoniensem ęcclesiam metropolim et magistram[3]) per consensum et subscriptionem romanę sedis apostolici[4]) ceterarum ecclesiarum[5]) fore constituit.[6]) *predictum uero* uenerabilem abbatem asericum, pontificalis dignitatis infula decoratum, electione canonica *sublimauit*[7]) **et colocensi episcopatui prefecit.** cuius consilio cęteras sedes patrum curis et prouisionibus commisit. iaciuntur ubique sacrarum fundamenta domorum, surgunt claustra canonicorum, cenobia florescunt regulariter conuersantium congregationum. undique fit concursus deo famulantium, quorum omnium desiderium tam liberalis principis excitauit benigne susceptionis solatium. — pannonia beati pontificis martini natiuitate gloriatur, cuius patrocinantibus meritis rex christo fidelis ut iam dictum est de hostibus uictoriam reportauerat, inito cum theofilis consilio iuxta fundum sancti presulis in loco qui sacer mons dicitur, sub tytulo ipsius monasterium construere cepit, possessionibus et redditibus, cunc-

que. „in tantum — subiugavit.“ e Leg. min. §. 3-o ubi haec de Geisa dicuntur. [1]) e Leg. min. §. 4-o. [2]) *et* alio atramento superadditum. [3]) in gram. V. Cr. [4]) „per consens. — apostolici“ des. in Co. Cr. L. T.V.[5]) in margine serius additum ceteri omittunt. [6]) locus palimpsestus. „constitu*ens, cui iam dictum*“ erasis, superscriptum nigriore atramento: — ***it Predictum vero.*** [7]) eraso: „prefecit“ (v. Leg. mai. §. 8.) alio atramento: ***sublimauit,*** et addito signo, in margine literis minutis: ***et colocensi episcopatui prefecit.*** Ceteri codices aliter: „Cognoscens vero prudens dux predicti Asserici (predicto ascribi.V.) religionem, pontificalis ipsum dignitatis infula decoratum eleccione canonica sublimauit, et ei colocensis episcopatus dignitatem obtulit. (contulit. Co. Cr.)“ Residua capitis: „cuius consilio — episcopiis“ in ceteris desunt. Post „solatium.“ prima manus scripserat: „et

tisque sufficientiis ditauit, et ipsius suffragio domitorum decimationibus simile fecit episcopiis.[1])

CAPUT V.

9. *Quarto* post patris obitum anno, diuina commonente clementia *eundem ascricum presulem, qui alio nomine anastasius dictus est, ad limina sanctorum apostolorum misit, ut a successore sancti petri principis apostolorum postularet, quo*[2]) *nouelle christianitati exorte in partibus pannonie largam benedictionem porrigeret, strigoniensem ęcclesiam in metropolim sue subscriptionis*[3]) *auctoritate sanciret, et reliquos ępiscopatus sua benedictione muniret. regio ętiam dignaretur ipsum diademate roborare, ut eo fultus honore, cepta per dei gratiam posset solidius stabilire. eodem forte tempore misca*[4]) *poloniorum dux, christianam cum suis amplexus*[5]) *fidem, missis ad romane sedis antistitem nuntiis, apostolica fulciri benedictione, ac regio postulauerat diademate redimiri. cuius peticioni annuens papa, coronam egregii operis parari iam fecerat, quam illi cum*[6]) *benedictione et regni gloria mittere decreuerat. sed quia nouit dominus qui sunt eius, qui duobus per apostolos in apostolici ordinis sortem ęlectis, mathiam pretulit, et apostolicum fecit supplere numerum, ille nimirum potius ęlectum suum stephanum hac temporali statuerat feliciter insignire*[7]) *corona, ipse postmodum eundem felicius decoraturus ęterna. prefixa itaque die, qua parata*[8]) *iam corona*[9]) *poloniorum duci mittenda fuerat, nocte quę precedebat, pape per visum domini nuntius astitit. cui et dixit: crastina die, prima diei hora ignote*

---

quoniam pannonia etc.“ quae in Leg. mai. §. 8. sequuntur, interpolator vero iam supra §. 6-o posuerat. Prima tamen: „et quoniam“ cancellata atque deleta sunt, vestigiis manentibus, ut in adnexo specimine conspicitur. [1]) additamentum de decem prolibus non iterat. [2]) qui. Co. quod. Cr. [3]) susceptionis. L. [4]) myscha. V. L. Cr. mischa. R. T. [5]) est. add. V. christiani ampl. fidem cum suis. Cr. christ. cum s. amplexatus fid. T. [6]) in. T. [7]) insigniri. L. T. [8]) patrata. Cr. [9]) predicto. add. V. T.

gentis nuntios ad te uenturos essę cognoueris, qui suo duci coronam a te regiam, cum benedictionis apostolicę munere flagitabunt. coronam ergo quam preparari fecisti[1]) *eorum duci prout peteret*[2]) *cures sine cunctatione*[3]) *largiri. sibi enim eam cum regni gloria pro vitę suę meritis scito deberi. iuxta igitur*[4]) *huius uisionis modum prescripta sequentis diei hora presul ascricus ad papam peruenit. qui officium iniunctum sibi prudenter exequens, et sancti ducis gesta referens ordine, ab apostolica sede quę premisimus insignia postulauit. indicans eum dignum fore*[5]) *tali honore et dignitate, qui plures gentes per dei adiutorium sibi subiugasset, et multos infideles per suam potenciam ad dominum conuertisset. quibus auditis ualde gauisus*[6]) *romanus pontifex, cuncta prout fuerant postulata benigne concessit. crucem insuper ante regi ferendam*[7]) *uelut in signum*[8]) *apostolatus misit. ego inquiens sum*[9]) *apostolicus, ille uero merito christi apostolus, per quem tantum sibi populum christus conuertit. quapropter dispositioni*[10]) *eiusdem, prout diuina ipsius*[11]) *gratia instruit*[12]) *ęcclesias dei simul cum populis utroque iure*[13]) *ordinandis relinquimus.*

10. *Impetratis ergo*[14]) *omnibus prout petiit presul ascricus letus*[15]) *ad propria remeauit, secum ferens propter quę inceptum iter prospere*[16]) *peregerat.* benedictionis ergo apostolicę litteris *cum corona et cruce* simul allatis, presulibus cum clero, comitibus cum populo laudes congruas adclamantibus, dilectus deo stephanus rex appellatus[17]) unctione crismali perunctus, diademate regalis dignitatis feli-

[1]) coron. quoque quam fecisti. L. T. [2]) cicius sine cunct. largire. L. petent cicius s. cunct. larg. T. petierint. Co. Cr. [3]) contradictione. Co. contractione. Cr. [4]) ergo. Co. Cr. [5]) om. L. T. [6]) est. add. L. T. [7]) ferendam regi. R. anteferendam regi. V. L. T. Co. Cr. [8]) velut sign. V. veluti sign. Co. [9]) inquiens ego sum. V. [10]) dispositionibus. T. dispositionem. Cr. [11]) ipsum. T. div. gr. ipsum. Co. Cr. [12]) instituit. V. [13]) „utroque iure“ om. L. T. vitiaque iure ordin. Co. viteque iure ordinandas. Cr. utroque iu. ordinandas R. [14]) igitur. L. T. [15]) om. L. T. [16]) om. R. [17]) „appellatus“ om. L. T. V. Co. Cr.

citer coronatur. post acceptum regalis excellentię signum qualis uitę uir et discrecionis fuerit, cum ępiscopis et primatibus hungarię statutum a se decretum manifestum facit.[1] in quo scilicet unius cuiusque culpe contrarium dictauit antidotum. et ut pacis per quam christus orbem coadunauit, se fore probaret filium, quod nullus alium hostiliter inuaderet, nemo uicinum sine iudicii[2] examinatione lederet, uiduas et[3] orphanos nullus opprimeret: subscriptione federis non pereuntis posteris suis reliquit stabilitum.

CAPUT VI.

11. Ad consorcium uero regni[4] precipuę causa sobolis propagande sororem romanę dignitatis augusti uidelicet[5] henrici,[6] qui ob mansuetudinem morum pius est appellatus, gislam[7] nomine sibi in[8] matrimonio sociauit. quam unctione crismali perunctam, gestamine[9] corone regni sociam essę constituit. quę qualis erga dei cultum ornandum[10] extiterit, quam frequens et benefica[11] circa deo seruientum congregationes apparuerit, multarum ęcclesiarum cruces et uasa uel[12] paramenta, opere mirifico facta, uel contexta usque hodie testantur. pre cunctis tamen domus episcopatus bezprimiensis,[13] quam ipsa a fundamento ceptam omnibus sufficientiis ad seruicium dei, in auro uel[14] argento uestimentisque multiplicibus nobiliter, adornauit. ipse uero rex[15] ępiscopia nuper incepta *tam uidelicet ipsam*[16] *archiępiscopalem*, *quam omnes ępiscopales ęcclesias*, *amplissimam singulis assignans diocesim*, *et unicuique*

---

[1]) fecit. V. L. T. Co. Cr. [2]) iudicis. V. [3]) om. V. [4]) om. Cr. [5]) scilicet. Co. [6]) heinrici. T. [7]) keslam. V. gysiam. L. T. gyslam. Co. Cr. [8]) om. L. Co. [9]) gestantem coronam. Cr. [10]) ordinandum. V. [11]) benedicta circa dei ser. Cr. quae quasi frequens et benedica circa deo serv. Co. [12]) et. V. [13]) vesprimiensis. L. vespriniensis. T. vesprimensis. Cr. [14]) et. Cr. [15]) om. L. T. [16]) om. L. T. Cr.

semper proficiens idoneum presulem simul cum abbatiis,[1]) prediis et curiis, familiis[2]) et redditibus regaliter disposuit. crucibus et uasis aliisque supellectilibus ad ministerium dei pertinentibus secundum quod unicuique opus fuit sufficienter decorauit, et singulis annis quamdiu aduixit[3]) munera et oblationes superaugebat,[4]) ne aliquid extrinsecus quererent, qui officio sanctuarii preerant.[a]) monachorum uitam et conuersationem, nunc per alios, nunc per se ipsum explorando diligenter examinabat, torpentes arguens, uigiles sub dilectione constituens, canonicorum ministerium ępiscoporum prouidentię sub testimonio ępiscopi[5]) ęcclesię commendabat. secundum apostolum, omnibus omnia factus ut omnes lucrifaceret.

12. *Eo tempore in monasterio[6]) sancti martini erat monachus quidam sebastianus nominę, cuius probabilis uita et deuota in dei seruicio religio habebatur. hunc rex uenerabilis miro cepit amore[7]) diligere. quia quanto quis religiosior, tanto erat ei[8]) acceptior. illum ergo ob uitę merita pontificali honore dignum iudicans, regendo strigoniensi archiępiscopatui[9]) eum prefecit. at quoniam flagellat deus[10]) omnem filium quem recipit, predictum sebastianum ad probandam ipsius pacientiam[11]) corporalium oculorum lumine[12]) ad tempus priuauit. sed ne nouellus in fide[13]) grex absque pastoris regimine a recti tramitis proposito deuiaret, per consensum romani pontificis sepe dictum ascricum colocensem ępiscopum in illius locum substituit. euolutis dein trium annorum circulis,[14]) sebastianus ex dei misericordia recepto lumine rursum per apostolici consi-*

---

[1]) et abbatias. R. V. L. [2]) famulis. L. [3]) quo advixit. Cr. quoad vixit. Co. [4]) semper augebat. V. Cr. [5]) christi eccl. V. christi et eccl. L. T. Co. Cr. [6]) eodem tempore. Cr. eodem in monasterio L. T. [7]) am. cep. L. T. [8]) ei erat. L. T. [9]) episcopatui. V. [10]) deus flag. V. [11]) patientiam ips. L. [12]) eum. add. Cr. [13]) om. T. [14]) curriculis. L. T.

[a]) e Leg. min. §. 6-o.

lium suę sedi restitutus est, et ascricus ad suam ęcclesiam, uidelicet[1]) colocensem cum pallio rediit.

13. Erat uero rex uir iustus[2]) et fidelis in omnibus actibus suis deo perfecte deditus, per uotum et oblationem semet cum regno suo sub tutela perpetue uirginis dei genitricis marie precibus assiduis conferens,[3]) cuius gloria et honor[4]) tam celebris inter hungaros habetur, quod etiam festiuitas assumptionis eiusdem uirginis, sine additamento proprii nominis, ipsorum lingua reginę dies[5]) uocitetur. et ut maiorem ipsius defensionis misericordiam[6]) consequi ualeret in ipsa regalis sedis ciuitate que dicitur alba, sub laude et tytulo uirginis eiusdem[7]) perpetuę famosam et grandem basilicam opere mirifico celaturis in chori[8]) pariete distinctis, pauimento tabulis marmoreis strato, construere cepit. quam qui uidit[9]) testimonium ueritati perhibet uerborum[10]) nostrorum. innumerabilia palliorum paramentorum, et aliorum ornamentorum[11]) ibi essę genera, tabulas circa altaria plures auro purissimo fabricatas, lapidum series preciosissimorum in se continentes. ciborium arte mirabili supra christi mensam erectum, cameram omni genere uasorum cristallinorum[12]) onichinorum, aureorum argenteorum pleniter refertam. *Tanta[13]) predictam uenustate supra descriptam ęcclesiam in propriam capellam rex sibi retinens, tali eam libertate dotauit, ut nullus episcoporum in ea cuiusuis iuris[14]) quicquam haberet. ne tamen[15]) a regulari disciplina eiusdem loci fratres existerent alieni, ad communem solius archiępiscopi synodum ęcclesiastici dogmatis institutione*

---

[1]) scilicet. Co.[2]) „erat interea rex idem fidelis.“ ceteri.[3]) „sub tutela — — marie commendans. V.[4]) hon. et. gl. V.[5]) dies domine R.V. Co. Cr. dies domine magne. L. T.[6]) miseric. def. L. T.[7]) eiusdem virginis. V. [8]) choro pariete. V. [9]) videt. L. T. [10]) perh. veritati verbor. L. T.[11]) paramenta et illorum ornamentor. V.[12]) cristallorum. Cr. [13]) tantam. V. quam predictam venustate. L. T. tanta venustate supra scriptam eccl. Cr. [14]) episc. cuiusv. iur. in ea. V. episc. in ea iuris Cr. [15]) „ne tamen — — deberent“ des. in Co. Cr.

imbuendi conuenire deberent. in die ętiam absolutionis et consecrationis crismatis cuicunque episcopo[1]) *uel iniungeret rex ibi presens, uel illuc mitteret absens, penitentes in ea absolueret, et crisma consecraret. diuina quoque missarum solempnia si regem ibi presentem essę contingeret, ille tantum celebraret ępiscopus, cui rex consentiente cum fratribus preposito celebrare iuberet. in regis autem absentia absque prepositi et fratrum consensu*[2]) *nullus ępiscopus uel missam*[3]) *celebrandi, uel cuiuslibet ępiscopalis officii exercendi sibi licentiam usurparet. preterea*[4]) *eiusdem ęcclesie populum instituit essę tam liberum, ut nichil decimarum cuiquam ępiscopo*[5]) *dare deberet, sed preposito soli et fratribus, prout ab eo instutum est seruicium exhiberet. demum*[6]) *seruus* dei quę tunc habebat,[7]) et aquirere poterat, omnia christo, quę ex ipsius dono fluxerant conferre studuit. ut qui eum gloria et honore mundi presentis dignum fecerat, celestis patrie ciuibus clementer associare dignaretur.

CAPUT VII.[8])

14. Legimus in prophetia[9]) de apostolis scriptum, quod in omnem terram exiuit sonus eorum, et in fines orbis terrę uerba eorum. hoc non solum de duodecim, sed de omnibus a deo missis ad euangelizandum dictum essę probatur, quorum fide uerbis et moribus incrementum parit ęcclesia. de quibus iste christianissimus rex non minimus fuisse comprobatur, qui bone uoluntatis et famam operis[10]) quam in edificandis ęcclesiis in amplitudine proprii iuris exercuerat, in longe positas terras, et urbes famosissimas disperserat. construxit[11]) enim in ipsa conuersationis christi secundum humanitatem ciuitate iherusalem, monachorum cenobium,[12]) prediis ditauit, et uineis ad

[1]) rex episcopo. V. [2]) licentia. Co. Cr. [3]) missas. Cr. [4]) propterea V. [5]) cuidam episcopo. Cr. cuiq. episcoporum. V. [6]) deinde. L. T. Cr. [7]) om. Co. Cr. [8]) in Ms. L. maior et ornatior. [9]) prophetiis. Co. Cr. [10]) op. fam. L. [11]) construxerat. V. T. [12]) quod. add. L. Cr.

uictum cottidianum copiam[1]) ministrantibus. in capite quoque mundi roma,[2]) sub tytulo prothomartyris stephani, duodecim canonicorum congregationem[3]) cunctis pertinenciis[4]) habundantem[5]) statuit, et maceriam in circuitu[6]) lapide muratam, cum domibus et hospiciis hungarorum orationis causa beati principis apostolorum petri limina querentium condidit. ipsam quoque regiam urbem constantinopolim, beneficiorum munere non priuauit, in qua ęcclesiam[7]) mirifici operis omnibus necessariis suis donauit[8]) merito igitur[9]) intra terminos suę dominationis nomen adeptus est apostoli, quoniam etsi ipse euangelizandi non assumpsit officium,[10]) predicatorum tamen dux et magister, eius[11]) tutaminis et sustentationis instituit solatium.

15. Inter omnia supernę miserationis beneficia,[12]) beato regi diuinitus concessa, pre omnibus sunt illa dinumeranda, et scriptis commendanda,[13]) quę locum primum obtinent, ad ęterne uitę gaudia promerenda, misericordia scilicet et ueritas. in omnibus enim factis[14]) suis felicibus illud intendebat essę precipuum, quod ex euangelio fideli pectoris contemplatus est uisu, per ueritatis ipsius testimonium[15]) dicentis: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. et in alio loco: date et dabitur uobis. tantis igitur misericordie et pietatis brachiis christi pauperes, immo christum in ipsis amplexatus est.[16]) quod nullus unquam hospes et peregrinus ab eo sine benignitatis alicuius solamine tristis abscessit. ad recreationem

---

[1]) copiam cottidianam ministr. V. [2]) rome. Cr. [3]) congr. canonic. V. [4]) proventibus. L. [5]) habundanter. Cr. [6]) et maceriam circuitu domibus et hosp. Co. [7]) quam eccl. Cr. [8]) cum necessariis omnibus suis dotauit. V. L. T. [9]) merito intra term. L. T. merito ergo infra term. Co. Cr. [10]) et quamvis super se evangelizandi. Cr. [11]) eius Cr. [12]) superne beneficia miserationis. L. T. [13]) et scrip. com. om. V. L. T. miranda scriptis comm. Co. Cr. [14]) actibus. L. T. [15]) contempl. est vi super veritatis ipsius. Cr. testimonii. Co. [16]) Christum ipsum ampl. Co. Cr.

egenorum cotidianas expensas indeficienter fieri constituit, nocturnas uigilias in lauandis christi fidelium pedibus, et in abscondendis in sinu pauperum elemosinis, agiliter, et ylariter[1]) transigere solebat. egenum christum in membris suis consolari deliberans temporaliter, ut ipse uitę cęlestis cameram cunctis delectamentis refertam inueniens, iocundari mereretur ęternaliter.

CAPUT VIII.

16. Quadam uero nocte spirituali monitu tractus[2]) nemine sciente solus, plenum dono[3]) dei gerens sacculum, christi pusillum gregem solito more perrexit uisitare. statimque pauperes distribuendę cęlestis thesauri pecunie disturbantes[4]) initium, uiri[5]) dei meritis, euulsione barbe prebuerunt testimonium. ob hoc gaudio perfusus maximo[6]) miles christi, se contulit ad beatissimam creatoris omnium genitricem. prostratus terrę gratias agens sic exclamauit: regina cęlestis et mea, quem tu regem statuisti, milites tui sic me[7]) honorauerunt. si ab aliquo aduersario mihi fuisset hoc illatum, meas iniurias per tuum[8]) ulciscerer adminiculum, sciens ergo domina, pro hoc ęternam michi retribui felicitatem,[9]) nimis exulto, gratias agens saluatoris nostri[10]) uerbis consolatorys, quibus discipulos suos consolatus est dicens: capillus de capite uestro non peribit. his dictis se uir dei cęlesti gratia percipiens uisitatum, et spirituali carismate[11]) perfusum, cordis[12]) ianuas opem querentibus nunquam claudere decreuit. sed per se deinceps, et per alios,[13]) et precipue per christi seruos et familiares, clericos scilicet et monachos, cęlitus sibi datas facultates, in ęternis thesauris per manus pauperum fecit

[1]) helemosinis largiter et hylariter. V. [2]) tactus. T. [3]) homo. Co. Cr. [4]) disturbando. V. disturbantes in unum. L. T. [5]) veri. V. [6]) maxime. L. T. [7]) om. V. L. Co. Cr. [8]) totum. V. [9]) eterna michi retr. felicitate. R. V. L. T. eternam mihi tribui fel. Cr. [10]) om. Cr. [11]) crismate. Cr. [12]) ordinis. L. T. [13]) et per se et deinc. et per al. V.

collocari. huius rei testimonium quam plures exhibent, sed[1]) ex his unus in ęternum[2]) cum ipso cęlestis uitę particeps monachus, ex seculari nobilitate conuersus et heremita beatus gunterius,[3]) qui[4]) liberalitate caritatiui principis illectus, solebat eum sepius de terra bohemicorum[5]) uisitare. quociens enim curiam ipsius aduentus sui fulgore perlustrauit, camera[6]) regis sub manu sua posita, peregrinis egenis,[7]) et indigenis, uiduis et orphanis, cenobiis ęcclesiis re distributa quam continebat,[8]) in breui fuit exinanita.[9]) ad nutum ętiam eiusdem serui dei, rex deo deuotus, monasterium, quod bel[10]) nuncupatur incipiens, omnibus[11]) bonis ditauit. ubi monachus gerardus de uenetia[12]) ueniens, uitam contemplatiuam agere cepit. qui constitutione superna pontifex ęlectus, post obitum sancti regis[13]) instante disturbatione[14]) christianitatis lapidatus est.[15]) per donum gratię spiritualis dignus est[16]) effectus consorcio martyrum.

17. Nec hoc pretereundum estimo,[17]) quod in uiro dei quanti meriti post obitum foret, diuina uirtus in uita sua demonstrare uoluit,[18]) quippe quociens alicuius hominis infirmitas auribus suis intimata fuit,[19]) missa sibi pro medicina, quam tunc[20]) in presenti poterat habere, particula[21]) panis, pomi,[22]) uel herbe redolentis, mandatum[23]) ut sanus surgeret transmisit, et dei propiciatione uerbum ipsius comitante[24]) statim sospitatem recepit. post gloriosam ad cęlos ascensionem, et mirabilem patris concessionem,[25]) saluator noster paucis corporaliter apparuisse per-

---

[1]) et. V. [2]) „in eter.“ om. L. T. [3]) guntherius. V. gunqueus. L. T. guntherus. Co. Cr. [4]) hac. add. Cr. [5]) bohemorum. V. L. T. [6]) cura regni. Cr. [7]) om. V. L. [8]) tenebat. T. [9]) examinata. Cr. [10]) beel. L. T. [11]) incip. omnibus ditavit. T. hominibus dit. Cr. [12]) girardus. R. gerhardus. V. de veneciis. L. T. [13]) om. L. [14]) distributione. Cr. [15]) et. V. om. L. [16]) om. L. T. [17]) puto. L. T. [18]) vol. dem. L. T. [19]) fuisset. L. T. [20]) om. V. [21]) particulam. Cr. [22]) om. Co. [23]) mandans. Cr. [24]) propiciatione statim sosp. L. T. Cr. [25]) confessionem.

hibetur. per uisionem uero multos consolatos,[1]) futurorum eos prescios essę docuit. quod et huic beato[2]) regi contigit. quadam igitur nocte repente per[3]) reuelationem quandam expergefactus, ueredarium quendam intra[4]) diem et noctem ad albam transsiluanam precepit festinare, et omnes in rure manentes, ad municiones ciuitatum, quam citissime possent,[5]) congregare. predixit enim superuenturos christianorum hostes, uidelicet qui tunc hungaris imminebant bessos,[6]) et possessiones eorum depredaturos. vix nuncius mandata regis compleuit, et ecce bessorum inopinata calamitas, incendiis et rapinis cuncta deuastauit. per reuelationem dei, meritis beati uiri concessam, animabus hominum[7]) saluatis per receptacula munitionum. accidit post hec, defuncto beati regis amico, romanę dignitatis augusto henrico pio, cunradum[8]) imperatorię potestatis[9]) coronam, per germanorum electionem assumere. qui destructa pacis tranquillitate, totius theotonię[10]) manu coadunata, pannonię terminos hostiliter conatus est inuadere. contra quem rex consultum[11]) habens ępiscoporum et principum,[12]) ad tuendam patriam, armatos totius hungarię contraxit.[13]) prius tamen recolens se nichil posse sine suffragio christi, manus et cor leuans ad ethera, domine suę perpetuę uirgini, dei genitrici mariae[14]) suas iniurias commendans, talem erupit in uocem; si placet tibi domina mundi, tuę partem hereditatis,[15]) ab inimicis deuastari, et nouellam plantationem christianitatis aboleri, non meę precor imputetur desidię, sed potius dispositioni uoluntatis tuę. si pastoris culpa, quod[16]) meretur ipse luat. insontibus parce

---

R.V. L. concessionem.T. mirab. in patris dextera confessionem Cr. consessionem. Co. [1]) consolatus L. T. [2]) sancto. L. T. [3]) nocte revelatione quadam. V. per revel. quidam. Co. [4]) infra. Cr. [5]) posset congregare. V. Cr. possent, se congregarent. L. T. [6]) byssenos L. T. [7]) omnium. cet. [8]) cunrardum V. [9]) dignitatis. Co. Cr. [10]) theothonie. R. thewtonie. T. theutonie. L. teutonie. Co. [11]) consilium. Co. [12]) cetum. add. L. [13]) extraxit. Cr. [14]) matri. Cr. [15]) regis. add. Co. [16]) quid. L. T. Cr.

precor ouibus.[1]) his dictis quasi consolatus, ab ipsa[2]) fiducialiter aduersus hostem iter arripuit. altera mox die nuntius ad unum quemque ducem germanorum in castra ceu missus ab imperatore[3]) uenit, qui eis redeundi mandatum detulit. regredientibus[4]) aduersariis, uir sanctus respectu miserationis dei[5]) se uisitatum intelligens,[6]) christo suęque[7]) genitrici terrę prostratus gratias egit, cuius secum regni prouisione tutamini, precibus assiduis commendauit. imperator uero suorum tam repentina perterritus defectione, sciscitans qualiter res facta fuerit, cum nuncium reuersionis eorum non suum fuisse ueraciter sciret, per consilium diuinitatis[8]) ad corroborandam regis fidelissimi spem factum non dubitauit. seque dehinc ab inuasione regni eius timore iudicis eterni retentus abstinuit.

18. *Idem quoque rex beatus[9]) sollicitudine regalium dispositionum[10]) occupatus, tempus diurnum colloquiis et consiliis transigens[11]) per noctis silentium uigiliis et orationibus instare,[12]) contemplationi uacare, lacrimas fundere, deum alloqui precibus operam dabat,[13]) iustique iudicis moderationem, super cottidianas iudiciorum discussiones[14]) misericorditer descendere flagitabat. quod cum sedulo spiritualis desiderii frequentaret officio, nocte quadam templo dei longe remoto, descenderat quippe cum illo suo magno et nobili comitatu, fixis tentoriis in campestris amplitudinis loco, ceteris sopore depressis, surgens a lecto,[15]) cubiculum cordis ingressus, genibus flexis clauso oris hostio[16]) ęternę miserationis ianuam gemitibus et lacrimis pulsabat. cumque diutius deprecationibus insisteret, domini sui regis ęterni[17]) ministris ad suscipiendas preces eius*

---

[1]) omnibus. Cr. [2]) ea. V. [3]) celitus missus. L. taliter missus in castra theotonicor. ab imp. missus. T. Cr. [4]) egredientibus. Co. [5]) divine. L. T. [6]) intelligit. Cr. [7]) suique. Cr. [8]) deitatis. V. [9]) beat. rex. L. T. [10]) dispositione. Cr. [11]) transignans. Cr. [12]) inst. uigiliis. V. [13]) dedit. Cr. [14]) cottidianis discussionibus. V. [15]) „surg. a lecto." om. L. T. [16]) „genib. flex. solum labiorum motu eterne miserationis." V. „solo labiorum motu eterne." R. L. T. Co. Cr. [17]) regis add. V.

conuenientibus, papilio super eum extensus a terra leuatus tamdiu pendere cepit in aere, donec uir dei in se reuersus a contemplatione, spiritum relaxauit ab oratione, quod licet inuisibiliter illi soli qui res nouit[1]) antequam fiant[2]) suique secreti consciis angelis fuisset cognitum, cuidam tamen magnę simplicitatis et innocentię[3]) uiro, qui tunc simili forsitan instabat operi, uisibiliter est manifestatum. quem rex sanctus archani sui conscium essę per spiritum sanctum[4]) edoctus, ad se uocatum blandis prius sermonibus quid uidisset sciscitabatur. post regiis donis eo ditato[5]) ne cui patefaceret quoadusque ipse rex[6]) uiueret interminabatur ei[7])

CAPUT IX.[8])

19. Fama nominis sui in auribus multarum gentium secularium[9]) diffusa, et iudiciis oris sui celebri laude ubique innotescentibus sexaginti uiri bessorum,[10]) quorum superius mencionem habuimus, cum uniuerso apparatu suo, uidelicet auri et argenti copiositate, multaque uarietate ornamentorum, curribus onustis de partibus bulgarorum[11]) egressi ad regem uenire uolentes, terminis pannoniorum appropinquauerant. at multi seruorum, quorum cereus est animus flecti in uicium,[12]) malignitatis face succensi obuiam illis exierunt. quosdam gladio percusserunt, omnia que eorum fuerant auferentes, uacuos et semineces[13])reliquerunt, illi iudicio[14]) regis quid actum, quidue per-

[1]) cui res innotuit. V. [2]) fiat. V. [3]) innocenti. Co. Cr. [4]) sanc. spi. T. [5]) editato. L. T. ei ditato. R. V. „reg. don. eo. dit.“ om. Co. Cr. [6]) om. R. V. L. T. [7]) „interminatus est.“ ceteri oo. omisso *ei.* [8]) locus in cod. abrasus, et manu recentissima adpictum F. [9]) aliarum. L. T. [10]) byssenorum. L. T. [11]) hungarorum. Cr. [12]) quorum cecus est animus flexi. L. T. in unum. L. [13]) semiviventes. Cr. [14]) illi vero regi. Cr.

pessi sint[1]) reseruantes, iter quod ceperant peregerunt, et ad eum usque[2]) properantes, genibus eius se aduoluerunt. quibus uisis, quę causa inquit malorum?[3]) mi domine, referunt, nos[4]) serui tui nichil mali machinantes ad audiendam iudiciorum tuorum ueniebamus[5]) disciplinam, et quorumdam manibus[6]) quam nobiscum ferebamus pecunia, absque delicto omnium nostrum[7]) ablata est. insuper apprehensos nos[8]) ceciderunt. et uita uix comite uenimus ut nunciaremus tibi. rex ut erat prudentioris animi, non uultu, non uerbis minatus est eos,[9]) sed sustinens ut scribitur, prudens spiritus reseruat in posterum; misit ocius ad ilum sub quo militabant tribunum, et die constituto omnes perdicionis illorum uiros[10]) iussit conspectibus suis presentari. actum[11]) est ut imperauerat et ad discuciendum in presentia sui[12]) statui sunt. quos alloqens: cur inquit legem preceptorum dei transgredientes, non intellexistis misericordiam, et uiros innocentię condempnastis? sicut fecistis, ita faciet dominus uobis coram me[13]) hodie. transgressores[14]) legis feriendi sunt. accepta[15]) sententia educti sunt, et per omnem regionem in ingressu[16]) uiarum duo et duo suspendio[17]) perierunt.[a]) *quod ob terrorem*

[1]) sunt. V. T. [2]) om. Cr. [3]) que inquit cau. mal. L. T. [4]) om. V. [5]) iudicior. discipl. Co. iud. tuor. discipl. venieb. L. T. [6]) et sociorum nostrorum quorundam man. L. T. [7]) om. V. absque omnium nostrum iniuria. L. T. [8]) illos. V. illos occiderunt. L. T. [9]) eis. V. L. T. Cr. om. Co. [10]) perdit. viros illos. L. T. perdictionis viros. Cr. [11]) factum. Cr. [12]) sua. V. in presencia constituti sunt. L. T. sui constituti sunt. Cr. [13]) vob. dom. cor. me. V. L. T. [14]) enim. add. L. [15]) itaque. add. T. [16]) regni ingressum. Cr. [17]) suspensi. L.

[a]) e Leg. min. §. 8.

incuciendum reliquis, zelo eum insticię fecisse credendum est. ut quia regnum suum omnium hospitum patens asilum essę nolebat[1]*) sic liber omnibus introitus ęsset, ut nullus ingredientem quemlibet in aliquo ledere, uel molestare presumeret. quod et factum est. nam quo aduixit*[2]*) nullus cuiuis*[3]*) hospiti quicquam molestię inferre presumpsit.*

20. In beato quoque rege constat apostolicum illud impletum quod legitur, quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum dei.[4]) et in libro sapientię: quos diligit deus castigat, et pater flagellat omnem filium quem recipit. multis enim modis correctioni diuinę succubuit,[5]) tribus annis infirmitate continua laborans.[6]) postquam inde propiciationis dei medicamine conualuit, iterum iudicis ęterni per secreti consilii quandam examinationem[7]) in filiorum suorum obitu sensit imminere uerba,[8]) quos in ipsis infantię gradibus insontes[9]) qui dedit abstulit. de quorum morte mesticiam obortam genitor propter amorem filii superstitis sanctę indolis[10]) pueri henrici solatio compescuit.[11]) quem quasi iam unice[12]) caro diligens affectu, precibus christo cottidianis et eius genitrici uirgini perpetuę commendauit. hunc sibi fore superstitem, hunc regni heredem uotis omnibus desiderauit. et ut efficatior[13]) fieret ad tenenda tanti regiminis gubernacula, uirorum documentis horthodoxorum usu lectionis cottidianę fecit auditum utrumque prebere. ipse quoque paterne dilectionis ardore compunctus, libellum sibi de institutione morum composuit, in quo fideliter et diligenter verbis eum ammonitionis spiritalis[14]) alloquitur, instruens qualiter ante

---

1) regnum omnibus hospitibus potens asilum. Co. Cr. omni hospiti patens esse voluit. L. T. 2) quoadusque vixit. T. 3) civis hosp. L. T. cuiquam hosp. V. 4) celorum. Co. Cr. 5) subiacuit. L. T. 6) lab. contin. V. 7) consilium filii quandam examinationem. V. 8) immittere verbera Cr. mittere verb. Co. imminere verbera. cet. 9) infantes. Co. Cr. 10) bone ind. cet. 11) Hemerici. L. Emerici V. Co. Cr. compescuit solatium. Co. Cr. 12) unicum. T. 13) efficax Co. Cr. 14) specialis. Co.

omnia debeat obseruare fidem catholicam, confirmare statum ęcclesiasticum, honorem impendere dignitati pontificum, principes[1]) et milites diligere, iudicium obseruare, patientiam in cunctis actibus habere, hospites benigne recipere,[2]) benignius nutrire, sine consilio nichil agere, maiores suos ante oculos semper ad exemplum statuere, orationis officium frequentare, pietatem, et misericordiam cum cęteris uirtutibus possidere. talibus et his similibus disciplinis institutus[3]) iuuenis preclarus ad nutum dispositionis ęternę, cui cuncta subiacent obediendo, millesimo XXX primo[4]) dominicę incarnationis anno, uitam hanc exitialem commutauit sempiterna. supernorum ciuium adiunctus[5]) contubernio. *cuius animam ipsa*[6]) *transitus sui hora cuidam episcopo grecorum sanctę conuersationis uiro reuelatum est, deferri per angelos ad cęli palatia. uerum quia pro sanctitatis suę meritis,*[7]) *summo*[8]) *ab omnibus diligebatur affectu, ortus est ingens*[9]) luctus omnium, sed maxime principum, inter quos pater desolatus graue traxit[10]) suspirium. videns enim se solum sine spe posteritatis derelictum, pietatis affectu doluit. sciens uero scriptum: non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum, et illud in canonibus, neminem propter obitum carorum[11]) nimium debere contristari, deposito merore, se totum contulit[12]) ad querendam largitatem misericordię diuinę, cenobiorum et ecclesiarum ministros monachos et clericos diuersis[13]) elemosinarum donis consolatus, expensas totius sumptus, quem[14]) ad presens habere poterat, peregrinis, uiduis, et orphanis erogauit.[15]) exterarum ętiam monasteria prouinciarum munificientię regię donis innumeris, per nuntios suos sepe uisitauit.

---

[1]) „pontif. principes“ om. V.[2]) „recipere benignius“ om. V. suscipere L. T. [3]) om. L. T. [4]) millesimo dominice. V. [5]) coniunctus. V. [6]) ipsam. T. [7]) meritum. T. [8]) supremo. T. [9]) om. T. [10]) contraxit. Co. [11]) caror. obitum. V. [12]) se cont. totum. V. L. [13]) diversarum. V. [14]) quam. V. quas. L. T. quam tunc habere. Co. Cr. [15]) erogat. Co. Cr.

21. Grauedinem morum, quam in iuuentute receperat, usque finem uite tenuit. uix unquam ad risum labia mouit. recolens scriptum: risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.[1]) semper sic apparens, ac si ante tribunal christi staret. interioribus oculis eius presentiam uultu uerendo[2]) conspiciens, christum in ore, christum in corde, christum in cunctis actibus se gestare demonstrauit. diem ultimum semper ante oculos cordis statuens,[3]) toto mentis desiderio iam[4]) inter patrię cęlestis ciues, quasi quodam angelicę conuersationis habitu cupiebat habitare. cunctis deo placitarum uirtutum generibus adornatus, in sanctitate et iusticia coram ipso,[5]) diebus uitę suę conuersari decreuit. ut in eo iam ceu quędam[6]) future glorificationis spes clarescere uideretur.

CAPUT X.[7])

22. Post non multum[8]) temporis egrotationem incurrit, qua postmodum corpore excessit,[9]) longa namque[10]) languoris molestia ingrauescente in pedibus stare nequibat. videntes autem quatuor palatinorum[11]) nobilissimi diu grauiterque[12]) laborantem, nam ipsi adhuc in perfidia cordis errabant,[13]) consilium iniquitatis duxerunt, occasumque[14]) eius in mortem[15]) conati sunt tractare. iam die aduesperascente antequam in domo lucerna accenderetur, unus eorum audacter sub obscuro ingressus

[1]) occupabit. L. T. [2]) sereno. V. Co. C. et L, cuius in margine adscriptum „al'ferendo." ferendo. R. T. [3]) constituens. L. [4]) om. T. [5]) omnibus. add. Co. Cr. T. R. L. [6]) quedam ceu. V. [7]) P. deauratum. [8]) vero. add. T. post modicum vero. L. [9]) „Corpusque eius in ecclesia beate virginis ab ipso constructa sepelitur." add. V. quae ceteri codd. n. habent. [10]) „longaque." ceteri. [11]) nobilissimi palatinorum. Co. Cr. nobiliss. palaciorum. V. „autem" [12]) om. L. [13]) errantes. Co. Cr. [14]) que om. V. [15]) morte. T.

est, et ad iugulandum regem ensem nudatum sub clamide tegebat.[1]) dum pedem inhiberet ubi rex quiescebat, reuera cęlesti impulsu gladius corruit, percussusque in[2]) terram, tinnitum reddidit. statimque[3]) rex audiens causam requisiuit, et tamen quid fuisset presciuerat.[4]) vir autem ille anxius[5]) corruit,[6]) consilium furoris sui recognouit, doluit, accessit, procubuit,[7]) uestigia regis[8]) amplexatus est, se deliquisse confessus, sibi indulgeri precatus est. veniam querentem non auertit, facinus[9]) facile dimisit. idemque[10]) iussu regis homicide illi[11]) inuenti adducti[12]) sunt, et aduersus eos iudicio[13]) locutus[a]) *digna eos multauit[14]) sententia.* tandem per misericordiam dei[15]) dignus centuplicate[16]) retributionis brauio tactus febri, cum sibi diem transitus[17]) imminere non ambigeret, accersitis ępiscopis et primis palatii de christi nomine gloriantibus, primum cum eis tractauit de substituendo pro se rege,[18]) petro uidelicet sororis sue filio, quem in uenetia genitum, ad se uocatum, iam dudum exercitui suo prefecerat ducem. deinde paternę monuit illos fidem orthodoxam[19]) seruare quam acceperant,[20]) amare iusticiam, uincula fraternę[21]) karitatis diligere, castitati[22]) operam dare, humilitatis studio inuigilare,[23]) pre[24]) omnibus uero nouelle

---

[1]) chlam. subtegebat. V. [2]) per. Cr. [3]) que. om. Cr. [4]) requisivit cum quid fuerat presciebat. Co. Cr. [5]) autem. om. V. ille vero. Co. Cr. [6]) obriguit. R. [7]) cubuit. V. [8]) om. Co. Cr. [9]) faciem. Co. Cr. [10]) denique. Co. Cr. iidemque. T. [11]) „id est quia iussu regis, tradicionis conscios aperuit, postera die precepto regis homicide illi.“ V. [12]) om. Co. Cr. [13]) iudicia. V. [14]) mult. eos. V. [15]) om. V. [16]) centuplicari. V. Co. Cr. [17]) febre. V. L. T. cum diem sibi transitus. T. [18]) „Petro — ducem“ desunt in ceteris. [19]) catholicam fid. observare. L. T. Co. Cr. [20]) acceperat. Co. Cr. ceperant. L. [21]) superne. R. L. [22]) caritati. cet. codd. [23]) vigilare. L. T. [24]) pro. Co.

[a]) e Leg. min. §. 9.

christianitatis plantationi custodiam adhibere. his dictis manus et oculos leuans ad sydera, sic exclamauit: regina celi, reparatrix inclita mundi, tuo patrocinio sanctam ęcclesiam cum episcopis et clero, regnum cum primatibus et populo, supremis precibus committo,[1]) quibus ultimum uale dicens manibus tuis animam meam commendo.[2]) instabat tunc[3]) sollempnitas precipua, celebris angelis et hominibus, dies assumptionis eiusdem perpetue uirginis marię in cuius gaudio si[4]) dissolutio sui corporis fieret, maioris spem misericordię se sperans[5]) habiturum, precibus hoc spiritualibus postulauit,[6]) suspiriis et lacrimis obtinuit. aderat igitur[7]) felix illa dies, per eius obitum felicior mox futura, circumstabat cum clero paternitas ępiscoporum, cum manu[8]) ministrorum, principatus[9]) chorus comitum, ubi rex domino[10]) dilectus in medio iacens, accepto unctionis spiritualis sacramento,[11]) sanctam animam, corporis et sanguinis domini nostri ihesu christi uiatico recreatam anno dominice incarnationis mill. XXX. VIII-uo[12]) in manus uirginis perpetuę[13]) et sanctorum angelorum[14]) cęlestis quięti beatitudinis[15]) inferendam tradidit. factus est planctus maximus suorum, gaudium angelorum, sed hic planctus postea uersus est in leticiam sempiternam tam nascentium, quam et[16]) uiuentium.[17]) ad exequias funeris eius ex omnibus pannonie plagis concurritur. corpus ad sedem regalem, albam uidelicet ciuitatem dedu-

[1]) sub tuis precibus committo. Co. Cr. [2]) animam meam manibus tuis committo. V. [3]) autem. L. [4]) ut. V. [5]) spem mai. miseric. sper. V. miseric. spem maioris. Cr. maiorem. Co. [6]) habit. precib. hoc specialibus. L. V. T. haec spirit. Cr. haec specialib. postul. Co. [7]) ergo. Co. Cr. [8]) magno. R. [9]) principali. ceto codd. [10]) om. Co. Cr. deo. V. L. T. [11]) spirit. om. L. T. unctione spiritualis sacramenti. Co. Cr. [12]) MXXXIII. R. M. tricesimo quarto. L. T. Co. Cr. millesimo tricesimo septimo. V. [13]) perp. virg. L. T. [14]) literis minoribus adiectum in Ms. [15]) eterne cel. quieti. V. L. T. aeterne quietis beatitudini. Co. Cr. [16]) et. om. V. [17]) populor. add. Co. Cr.

citur.[1]) et quoniam ecclesia beatissimę uirginis ab ipso constructa[2]) nondum erat dedicata, inito consilio statuunt[3]) pontifices prius basilicam sanctificare,[4]) deinde corpus terrę commendare. perfecta dedicationis sollempnitate, corpus sanctum in medio domus sarcophago candidi marmoris imponitur. *ubi per annos pluref dominus per ipsius merita multis incommoda pacientibus,[5]) febricitantibus, afflictionem et miseriam suam proclamantibus, indiciumque portantibus beneficia prestitit innumera. sepe per noctem melodia cantus angelici a[6]) multis audiebatur, odoris suauissimi[7]) dulcedo per latera templi dispergebatur.*

CAPUT XI.

23. Quieuit itaque[8]) corpus beatum eodem in loco[9]) non apertis declaratum signorum inditiis XLV. annis,[10]) miro disposicionis ipsius[11]) secreto, qui in sanctis suis predicatur et est mirabilis, ut[12]) **quot annos spiritus mole carnis indutus terreni coronam imperii per donum gratię spiritualis gestare merebatur, tot corpus** humi grauedine pressum et in puluerem redactum, et hic[13]) tempore predestinato declarari dignius,[14]) et in resurrectionis die renouari gloriosius haberetur.[15]) hoc quorsum respiciat,[16]) quid designet,[17]) oculis spiritualibus[18]) delectat intendere. quod sine preordinationis af-

---

[1]) videl. albam reducitur. V. civit. om. R. [2]) eccl. ab ipso constructa beat. virg. nond. R. [3]) merito consilio. Co. Cr. statuerunt. V. L. T. [4]) dedicare. L. T. [5]) „febricitantib. — portantib.“ om. Co. [6]) om. R. V. angelici audieb. L. T. melodia cantantibus angelis Co. Cr. [7]) frequenter add. T. svaviss. od. V. [8]) qui cum ita. Co. Cr. [9]) in loco eod. V. L. T. Co. Cr. [10]) annis qu. quin. V. L. T. „non ap. declar. sign. ind.“ om Co. Cr. [11]) om. Cr. Co. [12]) et. T. „quot — corpus“ desunt in ceteris codd. ut. om. Co. Cr. [13]) hoc Co. Cr. [14]) dignus — gloriosus Co. Cr. [15]) minutis literis superscriptum: „mereretur.“ et sic ceteri. [16]) hoc cor suum resipuit. Co. Cr. [17]) quidve signet L. [18]) supernaturalibus. Co.

fectu diuine[1]) factum non estimatur.[2]) forsitan quedam in ipso terreni pulueris aspersio, igne diuinę examinationis[3]) purificanda remanserat, sine qua regnantes quasi quodam iurę potentiali uitam presentem uix aut nullatenus transire[4]) queunt. *interiectis itaque XLV annis, cum ad prefanda[5]) per eum mortalibus misericordię sue beneficia, sancti sui uellet deus iam merita declarare, ex romanę sedis institutione, apostolicis literis sancitum est, ut eorum corpora eleuari deberent,[6]) qui in pannonia christiane fidei semina iacentes,[7]) sua eam predicatione uel institutione ad dominum conuertissent.* adueniente uero tempore declarationis eius, et laudabilis gratię eius,[8]) quam per ipsum gens hungarica[9]) promeruit in mundo diuulgande,[10]) rex ladizlaus[11]) qui tunc rempublicam amministrabat, uniuersa honestate morum[12]) preclarus habitus, et uirtutum fulgore conspicuus, laudibus et seruitio dei perfecte deditus, spiritus paracliti perlustratione[13]) tactus, habito colloquio[14]) cum episcopis et primatibus, et totius pannonię sapientibus, triduanum cunctis indixit ieiunium. ut quod communi catholicorum utilitati, spiritus sancti donis animarum et corporum salutem operantibus, uideretur fore proficuum, communi cunctorum deprecatione, ieiuniis et elemosinis[15]) fundata, per manifestationem signorum a christo deberet essę querendum. *sed ut ostenderet dominus · quante misericordię rex sanctus fuerit, adhuc mortali uiuens in corpore, qui[16]) iam cum christo regnans se[17]) demonstrabat adhuc[18]) pre cęteris operibus approbare, cum triduo sanctum eius[19]) corpus totis*

---

[1]) aff. divino. Co. Cr. effectu. T. [2]) estimamus cet. [3]) excommunicationis. Co. [4]) ducere. cet. [5]) prestanda. cet. [6]) iacentia, qui sua eam predicatione. L. T. [7]) iacientes. V. fid. iaci. sem. Co. Cr [8]) om. V. L. T. laudibus gratie eius Co. Cr. [9]) hungara. L. [10]) divulgari. V. [11]) Ladislaus. L. T. Co. Cr. [12]) mor. hon. V. L. T. Co. Cr. [13]) spir. illustr. paracl. L. T. [14]) consilio. L. T. Co. Cr. [15]) orationibus. V. [16]) quam V. Co. Cr. [17]) regnasse Co. Cr. [18]) ad hoc. Co. Cr. [19]) om. T.

uiribus eleuare satagerent, nulla de loco suo[1]*) potuit arte moueri.*[2]*) eo nanque tempore exigentibus culpis inter predictum regem ladizlaum et fratrem eius salomonem grauis orta seditio fuerat. ob quam*[3]*) salomon captus in carcere tenebatur. cum ergo pro eleuando corpore frustra conarentur, quedam inclusa iuxta ecclesiam sancti saluatoris in bukan sumlui*[4]*) nomine karitas, cuius uitę percelebris*[5]*) tunc temporis opinio ferebatur, reuelatione sibi celitus*[6]*) facta regi mandauit, eos incassum niti, non posse sancti regis transferri*[7]*) pignora, donec salomoni, a carcerali absoluto*[8]*) custodia, libera*[9]*) indulgentia preberetur. illo itaque e carcere producto, et triduano iterato ieiunio, cum ad transferendas reliquias sacras tertia die uentum fuisset, lapis ingens superpositus tumbe, tanta uelocitate*[10]*) sublatus est, acsi nichil ante ponderis habuisset.*[11]*)* adueniente uero tempore[12]) declarationis eius et laudabilis gratię quam per ipsum gens hungarica promeruit in mundo diuulgande, rex Wladizlaus qui tunc rempublican administrabat, uniuersa morum honestate preclarus habitus, et uirtutum fulgore conspicuus, laudibus et seruicio dei perfecte deditus, spiritus paracliti perlustratione tactus, habito colloquio cum episcopis et primatibus, et totius pannonie sapientibus, triduanum cunctis indixit ieiunium, ut quod communi catholicorum utilitati spiritus sancti donis animarum et corporum salutem operantibus uideretur fore proficuum, communi cunctorum deprecatione, ieiuniis et elemosinis fundata, per manifestationem signorum a christo deberet esse querendum.

---

[1]) arte potuit. V. [2]) quo. Co. Cr. [3]) causam add. L. T. [4]) bucan sumliu R. bukensumlov. V. bukati sumlui L. T. iuxta ecclesiam S. Saluatoris sumlui. Co. Cr. [5]) celebris. Co Cr. tunc temporis percel. V. [6]) cel. sibi. T [7]) transf. regis pign L. T. Co Cr. [8]) abs. a carc. cust. V. [9]) om. T. [10]) facilitate. L. T. Co. Cr. [11]) fuisset. L. T. [12]) „adueniente vero temp.“ alio atramento; palimpsestus locus; repetit hoc capite iam scripta.

CAPUT XII.

24. Completo igitur tercie diei ieiunio, et uespertinali officio,[1]) cunctis diuine miserationis beneficia per beati uiri meritum prestolantibus, subito plebem suam christo uisitante, miraculorum insignia per amplitudinem domus sanctę funduntur celitus, quorum pluralitas quoniam ipsa nocte numerum excesserat, illud euangelicum hic libet introducere, quod mundi saluator iohanni per nuntios sciscitanti, an ipse sit, qui uenturus est, per responsum mandauerat: ceci uident, claudi ambulant,[2]) surdi audiunt leprosi mundantur, manci[3]) corriguntur, paralitici curantur. *quorum tamen aliqua, quia cuncta non possumus, innotescere satagimus.*[4]) iuuenis quidam omnibus membris dissolutus, annis XII paralisim passus, manuum et pedum carebat officio. qui parentum adiumento uectus illuc, recepta totius corporis sospitate signorum fecit initium, atque ad altare haud segniter currens,[5]) omnium, christo laudes clamantium augmentauit gaudium. alius quoque puer septennis, a natiuitate contractis neruis genibus et manibus reptabat.[6]) quem parentes fide pleni, beati uiri suffragio conferentes, ipsi prostrati, iuxta sepulchrum secum posuerunt gratiam petituri. quam mox consecuti, contractionem neruorum in filio distendi[7]) mirabantur, et consolidatis genibus et plantis omnes eum incedentem uidentes christi nomen in beati uiri meritis laudabili clamore glorificauerunt, quem rex deo deuotus pre nimio gaudio lacrimatus manibus a terra leuatum ad altare portauit,[8]) ubi imno[9]) laudis prolato, gratias deo pro bene-

[1]) „Compl. ig. tercie diei iei. et“ superscriptum atramento diverso, erasis prioribus. completo igitur tunc diei vespertinali officio“ L. tertiae diei vesp. off. Co. Cr. [2]) claudi amb. leprosi mund. L. [3]) mali. Co. Cr. [4]) satagemus. Co. Cr. [5]) ad alt. abiit celeriter curr. L. T. [6]) reportabatur. Co. Cr. [7]) om. V. [8]) hic desinit cod. V. [9]) nimio. Cr.

ficiis prestitis in sanitate pueri, cum omnibus qui aderant fauorabiliter egit. sic totam noctem deus per[1]) famuli sui uenerationem multorum fulgoribus signorum mirabiliter perlustrauit. populus uero uigiliis et orationibus intentus, miraculum unum quodque laudum clamoribus manifestum facere non cessabat. *his inserendum uidetur*[2]) *et illud, quod non solum ibi presentes, sed longe quoque positi, suffragantibus eius meritis celebrem consecuti sunt salutis effectum, nam cum eleuationis ipsius*[3]) *undique cepisset fama crebrescere, uariis obsessi languoribus ex omnibus hungarię finibus ad eius sanctum tumulum, quo quisque poterat modo festinare ceperunt. sed cum aliis procedentibus alii grauiori debilitate prohibiti simul peruenire nequirent, simili tamen misericordia in uia innumeri sanati sunt. unde permansuram*[4]) *beneficiorum sancti regis memoriam, complures*[5]) *per eum sanitati redditi, in eodem, ubi sanati sunt itineris loco, grandes aggregauerunt aceruos lapidum, qui longo ibi tempore postmodum*[6]) *fuerunt. sed et mulier quedam, cum inter hec filius eius exalasset spiritum, qui sibi fuerat unicus, exanime nati corpus, iuxta sancti regis tumulum deposuit, dei et sancti regis super eo implora-tura solamen. mira quidem res et nostris obstupenda*[7]) *temporibus, non prius*[8]) *mulier orare destitit, quam filium quem defunctum collocauerat uiuentem accepit.*

CAPUT XIII.

25. Mane[9]) facto, die post assumptionem sanctissime[10]) uirginis marie quinto, conuenientibus in ecclesiam cum rege principibus, primum missa pro defunctis est

---

[1]) pro fam. s. veneratione. Cr. [2]) haec et quae hoc capite sequuntur usque „accepit“ scripta in una parte membranae dimidiatae, adglutinatae paginis 32 et 33, insertaque sunt inter voces huius capitis: „mundi Salvator Johanni per nuncios — sciscitanti.“ [3]) tempore. add. L. [4]) per mensuram beneficiis. Cr. [5]) quamplures. Co. Cr. [6]) post multum. Cr. [7]) stupenda L. T. Co. Cr. [8] om. T. [9]) M. maior et ornatior. [10]) beatissime. L. T.

celebrata, deinde sublata tabula marmorea quę pauimento prominebat,[1]) postquam peruentum est ad tumbam, tanta flagrantia[2]) suaue redolentis odoris in apparitione ipsius, omnes qui aderant circumdedit, quod in medium paradisi deliciarum domini[3]) se raptos opinarentur. ipsa quoque tumba plena fuit aqua parum rubenti, quasi oleo permixta, in qua uelud in balsamo liquefacto quieuerunt ossa pretiosa. quibus in mundissimo linteamine collectis, in ipso liquore diutissime quesitus est[4]) anulus, qui beati uiri dexterę fuerat impositus. quo non inuento, ceperunt quidam iussu regis, aquam in caldarias argenteas, et dolia effundere, ut euacuato sarcophago, certior anuli fieret inuentio. sed mirum in modum, quanto magis liquor effundebatur, tanto plus eo crescente tumba replebatur. qui uiso miraculo, haustam aquam loco suo restituerunt. nec tamen ea refusa,[5]) magis ob hoc tumba repleta fuit. tunc cooperto sepulchro, laudes et gratias diuine pietati. proclamantes, cum inuento thesauro beatissime marie dei genitricis et perpetue uirginis altare repecierunt.[6]) interim deus qui est mirabilis in sanctis suis, effusis sue[7]) largitatis beneficiis,[8]) tam extra, quam infra[9]) basilicam salutem petentibus miraculorum suorum signis se presentem essę[10]) notificauit. in tantum, ut tempus illud dominice conuersationis inter homines uideretur reuolutum, de quo legitur: omnes qui habebant infirmos uariis languoribus ducebant illos ad ihesum et curabantur. hec omnia uirtus diuina, non solum ipsa die, sed post tempore multo per merita famuli sui dignata est operari. quod etiam de aliis regionibus audita beneficiorum dei fama, pro recuperanda sanitate, diuersarum inualitudinum[11]) morbis laborantes, ad

---

[1]) preminebat. Co. Cr. E. marmor. que pav. prom. tabula. L. T. [2]) fragrantia L. T. Co. Cr. [3]) domum. Co. Cr. [4]) est ques. L. T. Co. Cr. [5]) reversa. L. [6]) reparaverunt. Co. Cr. [7]) suis. Co. Cr. [8]) „tam extra — salutem“ om. Co. Cr. [9]) intra. cet. [10]) om. T. [11]) valitudinum. T. Cr.

suffragium uiri beati cum magno desiderio conuolarent. Comitissa uero quędam nobilitatis eximie matrona,[1]) **comitis albi udalrici socia, regis wladizlaí sororis filia** nomine machtildis[2]) tribus continuis annis dolore uiscerum[3]) grauata, iam morti proxima fuit. que a suis in feretro delata mox ipsa die qua beati uiri[4]) tumulum attigit, paulatim se meliorari sensit, ac in breui uite prioris sospitate recepta,[5]) magnalia dei per famuli sui merita in se remunerata diuulgauit. cetera uero miraculorum dei prodigia, pro dilectione famuli sui celitus ostensa, non ideo quod fastidirem, non scripta dereliqui,[6]) sed quia non soli mihi pluit dominus, qui super bonos et malos solem suum clarescere facit, beneficiorum ipsius multiplicitatem, cunctorum proficuo consulentem innumeris sapientibus quos hungaria fouet, et amplectitur, stilo declarandam commendaui.

26. Illud tantum[7]) in fine codicis addere decreui, quam miro pietatis dei munere, diu quesitus, et non inuentus anulus, cum ipsa beati uiri dextera post translationis eius triennium[8]) est manifestatus. monachus quidam nomine mercurius, qui in ordine clericatus, thesauri perpetue uirginis custos fuerat, ętiam per amorem celestis patrie seculo renunciauerat, ipsa hora qua tumulus fuerat apertus, ne quid sanctarum reliquiarum raperetur,[9]) redargutione regali procul inde est remotus. cui tristi uultu in choro residenti, iuuenis quidam albis uestibus uestitus[10]) pannum inuolutum tradidit dicens: hęc tibi committo seruanda,[11]) cum tempus fuerit manifestanda.[12]) post completionem officii sacri, monachus in angulo[13]) domus pannum expandit, integramque uiri dei manum cum anulo

---

[1]) „comitis — filia“ om. cet. [2]) Mathildis. L. T. Mathide. Co. Cr. [3]) visc. dolore. L. T. Co. Cr. [4]) sancti. L. Co. Cr. [5]) percepta. L. T. [6]) reliqui. L. T. [7]) vero. add. Co. Cr. [8]) terminum. L. Co. Cr. [9]) raperet. L. T. Co. Cr. [10]) vestibus om. Co. Cr. [11]) „hunc — servandum.“ Co. Cr. [12]) manifestandum. Co. Cr. manifesta. L. T. [13]) angulis. Co. Cr.

mirifici operis cernens expauit, atque secum nemine sciente ad monasterium, quod rex[1]) suo regimini commendauerat, tempus a iuuene sibi predictum, a christo prestolaturus deportauit. ibi diu solus absconditi in agro thesauri custodiam et excubias exercuit.[2]) post fundatores ipsius cenobii conscios[3]) fecit. ad ultimum appropinquante tempore rei declarande, regis ad notiam perduxit. qui mox coadunatis[4]) ępiscopis et hungarię primis multis a christo miraculorum ibi beneficiis erogatis. eleuande[5]) uiri dei dextere, diem statuit celebritatis.

CAPUT XIV.[6])

27. Quid est fratres, quod ceteris membris dissolutis, et in puluerem carne redacta penitus disiunctis[7]) sola[8]) dextera manus ossibus cute cum neruis adherente, sue seruauit decus integritatis? non[9]) aliud arbitror[10]) diuini consilii profunditatem in huius excellentia[11]) facti uoluisse declarare,[12]) nisi dilectionis[13]) opus, et elemosine cunctos uirtutum gradus ascendere. unde ueritas dicit[14]) in euangelio: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. et item: date et dabitur uobis. item in alio loco: sicut aqua ignem, ita elemosina peccatum extinquit.[15]) merito[16]) beati uiri dextera fuit aliena[17]) putredinis, que semper pietatis flore reuirescens,[18]) in alendis pauperibus nunquam uacua (fuit)[19]) donis erogationis. subuenit quidem[20]) in necessitate positis, liberauit

---

[1]) „quod suo reg. commendatum fuerat.“ cet. [2]) decrevit. cet. [3]) consocios. Co. [4]) adunatis. Co. Cr. [5]) elevate. L. T. elevare. Co. Cr. [6]) Q. litera maior in codice. [7]) defunctis. Co. Cr. [8]) solaque. Co. Cr. [9]) nil. Co. [10]) nisi. add. Co. Cr. [11]) excellentis sancti. Cr. in his excellentiam. E. Notat etiam W. sub e) „excellentiam„ in cod. P. sed ibi „excellentia.“ [12]) declarari. Co. Cr. [13]) dissolutionis. Co. Cr. [14]) ait. L. T. Co. Cr. [15]) „sicut aq. extinguit ign. Co. Cr. [16]) ergo. add. Cr. vero. add. Co. [17]) ali. fuit. L. T. [18]) flore piet L. T. reviviscens. Co. Cr. [19]) lacuna in Ms. „fuit“ e ceteris codd. [20]) om. Co. Cr.

oppressos a iugo captiuitatis, uestes et hospitalitatem[1]) prebuit peregrinis, uiduarum et orphanorum miserias et indigentias suas esse computauit, cenam et mandatum dominicum in lauandis egenorum pedibus cottidie renouauit, elemosinas[2]) non de rapina, uel aliorum dampno, sed de proprii sumptus sacculis effluere[3]) fecit, ut domos dei diuites efficeret, sibi uoluntatem[4]) habendi subtraxit. sicque cunctis ad nutum diuinitatis[5]) proficiens, carnem suam, cum uiciis et concupiscentiis crucifixit. inde sibi[6]) est corporis et dextere delectabilis et miranda ueneratio, inde dulcis et felix ęterne uitę retributio, inde desiderabilis supernorum ciuium cohabitatio, ubi ipsum irradiat[7]) semper lucens, et indeficiens splendor unius summeque deitatis, patris et filii, et spiritus sancti, per infinita secula seculorum. Amen.

A) VITA SANCTI STEPHANI. E CODICE WARSAVIENSI. sec. XIV-i.

1. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum, huius patris datum optimum, post passionem et gloriosam resurrectionem, et ascensionem domini nostri Jesu Christi, in omnes regiones large proveniens, qui omnes homines vult salvos fieri, ad orientalem Ungarorum regionem usque diffusum est. (Bielowsky Monum. Poloniae hist. I. p. 495.)

2. Appropinquante spiritualis fulgore chrismatis, cunctis christianis ducatum suum intrare volentibus, hospitalitatis et securitatis gratiam uoluit exhibere. clericis et monachis potestatem concessit ante presentiam suam veniendi, et sibi loquendi, quid plura? adest tempus ce-

---

[1]) hospitalitates. L. T. Co. Cr. [2]) elemosinam. L. T. Co. Cr. [3]) de propriis facultatibus confluere fecit. Co. Cr. [4]) facultatem. Co. [5]) dignitatis. Co. Cr. [6]) om. L. T. Co. Cr. [7]) „ipsum“ om. Co. Cr. radiat. Co.

litus dispositum. credidit ipse cum familiaribus suis, et baptisatus est in nomine Jesu Christi. tu autem — — — (H. 2—3. B. I. p. 499.)

3. *De primo christiano Jesse.* Cum nimium esset sollicitus ritibus sacrilegis destruendis, et episcopatibus ad profectum ecclesie statuendis, mirabili visione consolatus est eum dominus. lucescente aurora astitit ante eum iuvenis delectabilis aspectu, qui dixit ei: pax tibi Jesse christiane deo dilecte, iubeo te de sollicitudine tua fore securum, ubi tibi concessum est quod meditaris, de te filius nasciturus egredietur, cui hec omnia disponenda diuine prouidentie consilio commendabit dominus. hic est unus e regibus electis a domino, coronam vite secularis commutaturus eterna. veruntamen virum spirituali legatione tibi transmittendum honorificabiliter suscipito, venerabiliter habeto, exhortationibus eius cordis fidelis assensum prebeto. (H. 3. B. I. 499.)

4. Expergefactus princeps visione stupidus, post secum, post cum christi fidelibus suis pertractans, deo gratias humiliter egit, et ecce nuntiatur ei beatum Adalbertum pontificem bohemie aduenturum, propter conuersionem ipsius. oritur leticia nouis christi militibus. dux obuiam tironi christi procedit, honorabiliterque suscipit. igitur fit ubique congregatio gentis indomite, per sanctum episcopum Adalbertum fiunt exhortationes continue, conuertuntur et baptisantur alumpni patrie, statuuntur multis in locis ecclesie.

5. Propterea uxorem eius Athleidam iam propinquantem partui, tali visione voluit diuina gracia consolari. apparuit namque ei beatus protomartyr Stephanus, levitico habitu ornatus in visionibus, qui eam alloqui taliter cepit: confide in domino mulier Athleidis, et certa esto, quia filium paries, cui primogenito corona debetur et regnum, meum quoque nomen illi imponas. cui cum admirans mulier responderet: quis es domine et quo nomine nuncuparis? ego sum, inquit, Stephanus protomartyr, qui

primus pro christi nomine martyrium pertuli. quo dicto disparuit. (H. 4. B. I. 500.)

6. Nascitur interea a deo predictus filius principi, quem antequam in utero conciperetur, dominus novit, et cui antequam nasceretur, protomartyr Stephanus nomen suum indidit. hunc deo dignus Adalbertus episcopus chrismali baptismate, secundum credulitatis sue virtutem intinxit, et ei nomen Stephanus imposuit. crevit infans diligenti nutritus educatu, quem transacta pueritia, conuocatis pater suis Ungarie primatibus, post se regnaturum populo prefecit. (H. 4—5 B. I. 500.)

7. *De corona postulanda regi Ungarorum.* Post hec Jesse plenus dierum. anno dominice incarnationis nongentesimo nonagesimo VII. seculi nequam erumnas deserens celesti invitatur gaudio. (I. 500. H. 5.) Unde habito consilio cum episcopis et principibus terre, quarto post obitum patris anno, divina commouente clementia Astricum presulem ad limina sanctorum apostolorum misit, ut a successore S. Petri, principis apostolorum, domino apostolico postularet, quo nouelle christianitati exorte in partibus Ungarie largam benedictionem porrigeret, regem etiam dignaretur ipsum diademate coronare. eodem forte tempore Mescho polonorum dux christianam roborare cum suis amplexatus fidem, missis ad romane sedis antistitem, Leonem nomine, nunciis, apostolica fulciri benedictione ac regio postulauerat diademata coronari. — — — Cuius petitioni annuens papa coronam egregii operis parari iam fecerat, quam illi cum benedictione et regni gloria mittere decreverat. sed quia nouit dominus qui sibi sint in futurum dilecti, idcirco prescius sanctum electum suum Stephanum, hac temporali statuerat feliciter insignire corona, postmodum felicius eum decoraturus eterna.

8. *Quare et quo corona polonis non fuit data?* Prefixa itaque die qua corona miro opere preparata Meschoni polonorum mittenda erat, nocte que precedebat pape per visum angelus christi nuncius adstitit, cui dixit: crastina

die hora prima ignote gentis stirpis orientalis Ungarie nuncios ad te uenturos esse cognoueris, qui sue gentilitatis abiecta ferocitate humiliter prostrati, suo duci Stephano coronam a te regiam cum benedictionis apostolice munere flagitabunt. coronam ergo quam preparare fecisti Meschoni duci polonorum, Ungarorum duci prout petent nuncii eius,cures sine concertatione largiri, sibique eam cum regni gloria pro vite sue meritis scito deberi. illi autem cui postulata fuerat non erit data, quia generatio de ipso exibit, que plus delectabitur in siluis crescendis quam in vineis, plus in tribulis crescendis et herbis superfluis, quam frugibus et frumentis speciosis, plus feras silvarum, quam oues et boues camporum, plus canes quam homines, plus iniquitatem quam iusticiam, plus traditionem quam concordiam, plus tyrannidem quam caritatem; eruntque quasi bellue vorantes homines, et quasi genimina viperarum rodentes cor terre sue, obliuiscentes domini creatoris sui, confidentes in stulta potentia sua, et non credentes dictis prophetiarum sanctarum. Quia ego dominus Deus fortis ulciscens in tertiam et quartam generationem, et affligentes me affligam, nec transibit apud me malum impunitum et bonum remuneratum. Post hanc generationem eorum, sequentium me miserens miserebor, et eam exaltabo, et corona regni coronabo. Modo vero fac ut dixi. Et statim discessit angelus sanctus ab eo. Juxta ergo huius visionis modum, prescripta sequente die hora prima presul Strigoniensis ecclesie, Astricus nomine, ad papam peruenit, qui officium iniunctum sibi proderet exequens; sancti ducis Ungarorum ordine gesta referens, ab apostolica sede que supra diximus insignia postulavit. quibus auditis ualde gavisus romane sedis pontifex, coronam prout fuerat postulata, benigne, crucem insuper ferendam regi velut in signum apostolatus misit. benedictionis ergo apostolice litteras, que cum corona et cruce simul priuilegiate erant excommunicationis modo roborauit. (H. 9. B. I. 503.)

9. Mox presul Ungarorum Astricus ut fidelis nuncius ab apostolica sede accepta benedictione, a cardinalibus et curialibus romane curie petita licentia, letus et exultans Ungariam uelocius properauit. — — Presul cum clero, milites cum populo kyrie eleison cum laudibus congruis proclamant, deum omnipotentem, et sanctos apostolos Petrum et Paulum benedicunt, quod sanctus et dilectus Stephanus, et unctione sacri chrismatis perunctus diademate regalis dignitatis feliciter coronatus est. (H. 10. B. I. 504.)

10. *De congressione regis Ungarie cum polonie rege.* Post acceptum regalis excellentie signum beatissimus vir dei Stephanus Ungarorum rex episcopales ecclesias amplians regaliter disposuit, crucibusque et vasis, aliisque supellectilibus ad ministerium dei pertinentibus, secundum quod unicuique opus erat, sufficienter decorauit. (H. 11. B. I. 504.)

11. Erat interea rex idem fidelis in omnibus actibus suis, deo perfecte deditus, per votum et oblationem semet ipsum cum regno suo sub tutela perpetue uirginis dei genitricis Marie precibus assiduis offerens, cuius gloria et honor tam celebris inter Ungaros habetur. et ut maiorem ipsius defensionis misericordiam consequi valeret in ipsa regalis sedis civitate, que Alba nuncupatur, sub laude et titulo genitricis dei, famosam et grandem ecclesiam opere mirifico construere cepit. qua perfecta in consecratione ipsius ecclesie, ipsam sue regalis magnitudinis reseruauit, talique eam libertate corroborauit, ut nullus archiepiscoporum vel episcoporum in ea cuiusque iurisdictionem habebat, deinde canonicis, qui eam ad honorem dei genitricis officiarent, prebendas largas statuit. construxit autem in ipso initio conuersionis sue in ciuitate ierosolimitana cenobium monachorum, quod ad uictum cottidianum prediis et vineis locupletauit. aliud quoque monasterium in urbe romana, prope sancti Petri ecclesiam ad honorem sancti protomartyris Stephani construxit, ibique XII cano-

nicos locavit, et eos prediis et uineis ditauit. domos uero hospitales pro peregrinis recipiendis edificauit, et bene murauit. merito ergo in toto mundo famosum adeptus est nomen apostoli, quia etsi ipse euangelizandi non assumpsit officium, predicator tamen et magister eximius populis solacium prebens exstitit. (H. 13. 14. B. I. 506.)

12. Quadam vero nocte monitu diuino nemine sciente solus ad ecclesiam venit, seque prosternens orationem pro regno suo ad dominum fudit. cumque ibi languentem pauperem febre depressum ingemiscere, et clamare audiret, veste qua erat indutus pauperem operuit. mox illi manum imponens ab infirmitate curauit. diuinaque virtus et gratia in vita sua demonstrari voluit, quippe quoties alicuius hominis infirmitas auribus suis intimata fuit, missa sibi pro medicina, quam tunc in presenti poterat habere particula panis uel pomi redolenti mandatum, ut sanus surgeret transmisit, et dei propitiatione verbum ipsius comitante statim sospitatem recepit. (H. 17. B. I. 506.

13. *De visione quadam regis Ungarie et de victoria contra imperatorem.* Quadam igitur nocte per revelationem quandam expergefactus, veredarium quendam intra diem et noctem ad Albam transsylvanam fecit festinare, et omnes in rure manentes ad munitas civitates quam citissime posset congregare. predixit enim superuenturos christianorum hostes, scilicet qui tunc Ungaris imminebant Bessos, pro censu possessiones eorum depredaturos. Vix nuncius mandata regis complevit, et ecce paganorum inopinata calamitas incendiis et rapinis; tota deuastata est per ultionem dei. Unde meritis beati uiri manifestum est hoc, ut omnes qui eum inuadere vellent, deum qui protector eius est, timerent. Post hec uero Conradum imperatorem manu forti terminos Ungarie inuadere nunciant. contra quem rex consilium habens episcoporum et principum, ad tuendam patriam armatos totius Ungarie conuenire fecit. prius tamen recolens se nihil sine christi suffragio posse, manus et cor levans ad ethera, domine

sue perpetue Virgini marie suas iniurias commendans, talem prorupit in vocem: si placet tibi domina imperatrix celi et terre, tue partem hereditatis ab inimicis deuastari, et nouellam plantationem christianitatis abolere, committo dispositioni tue et voluntati. his dictis quasi consolatus ab ea fideliter contra hostem ibat ad prelium. recordatus autem verborum Alexandri regis, qui dixerat: „stare pro patria, patriis titulis et honori inuigilare decet," animum confortauit. altera vero die miserante gratia, nuncius ab imperatore venit, qui eius reditum nunciauit. regredientibus adversariis vir dei se per preces beate virginis liberatum intelligens, christo, sueque matri gloriose flexis genibus, ad celum extensis manibus gratias egit, eamque procuratricem sui regni a domino postulauit, ibique votum obtulit. imperator vero suorum tam repentina perterritus defectione, sciscitans ab eis qualiter contigisset, quod perterriti omnes fugissent, et quod per proprium nuncium regressionem suam nunciassent, et per magnum pudorem sue potentie imposuissent. voluntatem dei, et regis sanctitatem esse cognouerunt. (H. 17. B. I. 507.)

14. Idem quoque rex sanctus solicitudine regalium disposicionum occupatus, tempus diurnum colloquiis et consiliis transiens, per noctis silencium vigiliis et oracionibus instare, contemplacioni vacare, lacrymas fundere, deum alloqui non cessabat, iustique iudicis moderacionem super cottidianas iudiciorum discussiones misericorditer descendere flagitabat. *De uotis et orationibus regis, et de morte filii eius henrici.* Nocte igitur quadam cum estatis tempore in campestribus fixis tentoriis starent, ceteris sopori deditis surgens a lecto, deum deprecebatur pro sua et populi ignorancia. quum diucius oracioni insisteret, papilio super eum extensus a terra levatus, tamdiu cepit pendere in aere, donec vir dei a contemplacione spiritum relaxauit, et ab oratione; quod cuidam bone vite est manifestatum. quem rex sanctus arcana sui consilii nosse sancti, per spiritum sanctum edoctus, ad se vocavit, blandis prius

sermonibus quid vidisset sciscitabatur, post ne cui diceret donec ipse uiueret, imperauit. (H. 18. B. I. 508.)

15. In beato quoque rege constat illud impletum: „quam per multas tribulationes oportet intrare regnum dei.“ multis modis correctioni diuine succubuit, tribus annis in infirmitate continua laborauit. permissionem in semet ipso, sicut in beato Job, iudicis eterni per secreti consilii examinationem in filiorum suorum obitu sensit imminere verbera, quos in ipsis infantie sue gradibus teneros quos dedit abstulit. de quorum morte mesticiam obortam genitor propter amorem superstitis bone indolis pueri henrici solacio compescuit. quem quasi iam unicum caro diligens affectu, precibus christo commendans, et eius genitrici virgini perpetue commendauit. hunc sibi superstitem, hunc regni heredem votis omnibus desiderauit, quem dominus Jesus christus non in terrestri regno disposuit laborando imperare, sed deposita inanis corruptibilis machina corporis, in celesti regno cum angelis triumphare. mox decidens in gravem infirmitatem henricus nobilis dux Sclauonie VIII diebus languit, nona uero die hora IX-a emisit spiritum, quem sancti angeli in suum consortium susceperunt. Uxor uero eius, que inuiolata cum ipso permansit VII-a die, in die dominica migrauit ad dominum. o gloriose virgines Christi, que virginitatem suam Christo in tantum dedicauerunt, ut etiam in morte non separentur. (H. 20. B. I. 508—9.)

16. *De successione Albe in regnum post mortem patris.* Videns autem beatus Stephanus sine spe posteritatis se derelictum, et unicum filium suum henricum sepultum, pietatis affectu doluit super filio suo multis diebus. vix unquam ad risum labia mouit, sed semper sic apparens, ac si ante tribunal Christi staret. in orationibus oculis eius presentiam conspiciens, Christum in ore, Christum in corde Christum in cunctis actibus se gestare demonstrauit. tandem per misericordiam dei dignus centuplicari retributionis brauio, expectabat consolationem Jesu christi. — —

Post copulationem vero uxoris X-o mense in uisione apparuit angelus in albis vestibus dicens: veni dilecte mi rex Stephane ad me, quia tempus est ut post labores seculi requiescas in gaudio paradisi. euigilans autem aduocat episcopum, et ei visionem edicit. eadem uero die hora IX-a tactus febre debilitatus est, et decidit in lectum. et cum sibi transitus diem imminere cognouisset, accersitis episcopis et principibus et comitibus, et primis palacii sui iuuenibus, de Christi uocatione exsultans, indicauit eis dissolutionem sui corporis imminere. — — Deinde paterne monuit illos catholicam fidem obseruare quam acceperant, amare iusticiam, vincula superne caritatis diligere, et caritati operam dare, humilitatis studio inuigilare, pro omnibus uero nouelle plantationis christianitatis custodiam adhibere. his dictis manus et oculos leuans ad celum sic orabat: „regina celi et terre, imperatrix et coadiutrix inclita, tuo patrocinio sanctam ecclesiam cum episcopis et clero, regnum cum principibus et populis sub alis tue protectionis relinquo.“ quibus dictis oleo infirmorum corpus suum inungi petiit. post unctionem *Credo* cantat dein „*pater noster*,“ quibus ultimum benedicens, manibus extensis sursum, dixit: in manus tuas domine Jesu christe commendo animam meam. (H. 22. B. I. 509—10.)

17. *De morte et planctu regis Stephani et miraculis.* Instabat autem solemnitas, sancte dei genitricis assumpcio gloriosa, ad quam omnes solito more in Albam ciuitatem confluxerunt, et tentoriis campos operuerunt. planxerunt autem eum omnes populi hungarie, simul in unum diues et pauper, episcopi cum clero cantu lamentabili animam eius commendabant, atque fabricato marmoreo nouo monumento reconditur, in quo nondum quisquam positus fuerat. quidam autem episcopus grecorum sancte conuersationis, in ipsa transitus sui hora, audiuit animam sancti Stephani in celum deferentem per angelorum choros, et laudantes dominum Jesum christum. qui statim nuncium in Ungariam in Albam civitatem transmisit, et ita sicut

audiuit et uidit sanctus episcopus nuntius eius invenit. literis autem de obitu eius a capitulo acceptis, ad dominum suum in Greciam remeauit. sepe harmonie supra sepulchrum eius audiebantur angelorum, sepe lampades ardentes in aere videbantur. multorum vero pueri, qui infirmitate sua eius liminibus deuouebantur, mox ut perueniebant, curabantur, auxiliante domino nostro Jesu christo. (B. I. 510.)

B) PARS OPERIS HARTUICIANI DE DECIMIS MONASTERIO S. MARTINI DONATIS, E TABULARIIS CAPITULORUM DEPROMTA

Numeri ( ) inclusi lineas, 1. 2. 3. varias lectiones chartaruu indicant.

1. ALBENSIS.

(1) Capitulum ecclesie albensis omnibus christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis salutem in eo qui est vera salus, dans quietem hominibus. ad uniuersorum notitiam harum serie volumus pervenire (2) quod licet in antea honorabiles nostri religiosi et deo deuoti frater wylhelmus dei et apostolice sedis gracia abbas sacri montis pannonie cum suo conuentu, mediantibus litteris ipsorum amicabili postulacione amica(3)biliter a nobis postulauerint, ut de decreto sanctissimi regis Stephani, et de legenda eiusdem, ac etiam de registro ecclesie nostre in conseruatorio existentibus, que ad libertatem monasterii ecclesie beati martini confessoris, dicti sacri (4) montis pannonie pertinerent, in subsidium et tuicionem eiusdem monastery reinueniri, et dari sub sigillo nostro auctentico eisdem concedi petebant, ut est pretactum. sed quia huiusmodi reinuencio et concessio per simplicem peticionem (5) fieri non debebat secundum antiquam consuetudinem ecclesie nostre, sed ad preceptum dominorum nostrorum regis et regine, vel superiorum, — ad mandatum litterarium domini Guidonis miseracione diuina tituly sancte cecilie presbyteri (6) Cardinalis apos-

tolice sedis legati, in legenda sanctissimi regis Stephani, per sanctissimos papas approbata, et auctenticata, que ad dictum monasterium beati Martini confessoris, et ad libertatem eiusdem luculenter (7) euidenter pertinent excipienda. Cuius constitutionis legende tenor talis est. Post obitum uero patris etc. — Nos igitur tam ad (22) preceptum dicti domini Cardinalis, quam causa communis iusticie ea que pertinent ad libertatem sepedicti monasterii de verbo ad verbum uberiorem rei — — — — absque scrupulo alicuius falsitatis inseri et (23) transscribi fecimus. In cuius transscripcionis prerogative reinuencionis libertatis et constitucionis memoriam perpetuamque stabilitatem eidem monasterio beati Martini confessoris presentes literas nostras priuilegiales cum pendenti (24) auctentico sigillo nostro munire duximus roboratas. Datum anno dominice incarnacionis millesimo trecentesimo quadragesimo nono, reuerendo nostro magistro Thatamerio dicto, ecclesie nostre preposito (25) auleque regie viceeancellario, discretis viris Johanne cantore, Demetrio custode, Stephano decano ecclesie nostre existentibus. undecimo Kalendas augusti.

2. *VACIENSIS.*

(1) Omnibus christi fidelibus presentibus pariter et futuris presentium noticiam habituris capitulum ecclesie Vaciensis salutem in domino sempiternam. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod discretus juuenis (2) magister Stephanus notarius monasterii sancti Martini de sacro monte pannonie, legitimus procurator domini Wyllermi abbatis, et tocius conuentus predicti monasterii S. Martini ad nostram presenciam personaliter veniendo (3) vice et nomine dictorum domini abbatis et conuentus nobis proposuit in hunc modum: Quod quia nobiles et ignobiles prouincie et comitatus Symigiensis vniuersas decimas secundum institucionem et ordinacionem seu donacionem (4) sanctissimi regis Stephani primi regis hungarorum predicto monasterio secun-

dum iustam et approbatam regni consuetudinem, soluere recusarent, contumacia et inobediencia obstinati, et ex hoc predictus Wyllermus abbas, totusque eiusdem loci con(5)ventus magnam in iuribus eorum percip(erent) diminucionem, et detrimentum. Cum igitur iura ecclesie ipsorum defendere et tueri velint et intendant salubriter deo propiciante toto suo nisu et conamine si(cut) eis necessario incumbit, et quia ad hoc legenda (6) sanctissimi regis et auctentica, et approbata per sanctissimos romanos pontifices sit supreme necessaria; ideo particulam illam in qua continetur constitucio et ordinacio de decimis monasterii predicti in dicta prouincia et comitatu Symi(7)giensi existentibus, ad cerciorem et firmiorem tuicionem decimarum eiusdem monasterii, humili cum instancia supplicauit, vt rescribi faceremus, nostroque sigillo auctentico communiri. Cuius — pretitulate legende auctentice et approbate, ac in nostro conseruatorio (8) diligenter retente tenor talis est: Post obitum uero etc. — — Nos igitur etc. — — feria sexta proxima ante dominicam ramis palmarum anno domini M° CCC° quinquagesimo.

3. STRIGONIENSIS.

Nicolaus prepositus et Capitulum ecclesie Strigoniensis omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris noticiam presencium habituris salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod discretus iuuenis etc. — — — feria quarta proxima post dominicam Judica anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo.

(7) Post obitum vero patris Stephanus adhuc adolesscens (adolosscens. 3.) fauore principum et plebis in patris solium laudabiliter prouectus arden(8)ciori anima (sic) cepit veritatis propagator existere. qui (quia. 2. 3.) quamvis adolesscencie (adolosscencie. 3.) annis floreret, non tamen cor in ore, sed os in corde habebat. scripturarum diuinarum, quibus adprime flagrabat, non immemor

iudicium et (9) iusticiam in oculis proponebat, iuxta illud Salamonis: audiens sapiens dissciplinam sapiencior erit, et intelligens gubernacula possidebit. In omnibus itaque mandatis deo (dei. 2. 3.) fidelis dispensator existens, apud se (10) cepit meditari, qualiter subiectum sibi populum vnius dei cultui manciparet. Sed quia perpendebat absque vicinarum gencium confederacione (consideracione. 3.) fieri minime posse, pacem cum exterarum prouinciarum populis fideliter (11) institutam roborauit, vt eo securius quod in mente tractabat, in nouella plantacione christianitatis expleret. Sed aduersarius tocius bonitatis inuidie plenus et malicie dyabulus, vt sanctum christi (12) tyronis propositum disturbaret, intestina contra eum bella commouit. quoniam eius instinctu plebs gentilis christiane fidei iugo colla submittere renuens, cum principibus suis a dominio ipsius se (om. 2.) subtrahere (13) molliebatur (sic). Ceperunt enim vrbes eius (om. 2.) desolari, predia vastari, possessiones depredari, serui (seruos. 2.) cedere (sic) et vt cetera sileam . ipsi insultari. Cumque declinare de via sua peruersa nollent, nec furor eorum (14) saciaretur, dux ipse confidens de eterna virtute, ad superandam hostium rabiem, multitudine exercitus sui sub vexillo deo dilecti pontificys Martini sanctique martiris Georgy processit. Illis forte diebus (15) vrbem que wlgo Wesprem (que W. nunc wlgo. 3.) nuncupatur obsederant, hoc ad conuicia eius commouentes, scilicet vt (om. 2.) vbi ducalis accessus conuersacio habebatur, ibi consederent, quo facilior ingressus ad alia predia (presidia. 2.) occu(16)panda inueniretur. Ipse vero (om. 2.) diuina preeunte clemencia aduersus eos consurrexit, et hic in fide, illi vero tamen (tantum. 2. 3.) in armis confidentes, vtrinque decertauerunt. Tandem hostibus victis et ex parte cesys et (17) ex parte captis et alligatis dux victor cum suis victorie dona reportauit. Quapropter de possessionibus eorum tam in agris quam in villis sapienter dywdicauit. non sicut quondam Saul qui deuicto agag (18) rege amalech de

spolys eius domino prohibente meliora elegerat. Sed quoniam pannonia beati pontificys Martini natiuitate gloriatur, cuius etiam patrocinantibus meritis vir christo fidelis vt iam dictum (19) est de hostibus victoriam reportauerat, nichil ex rebus eorum ad opus sui reseruans, inito cum theophilis consilio, iuxta fundum sancti presulis, in loco qui sacer mons dicitur, vbi sanctus Martinus (20) dum adhuc in pannonia degeret, oracionis sibi locum assignauerat, sub tytulo ipsius monasterium construere cepit, possessionibus et reditibus, cunctisque sufficiencys ditauit, et ipsius suffragio, domitorum decimacionibus (21) simile fecit episcopys, constituens ex omnibus (eorum add. 2. ex eorum omnibus. 3.) facultatibus tam stricte decimas dari, vt si cui decem liberos habere contingeret (contigerit. 2.) decimam prolem sancti Martini cenobio daret.

C) EX SERMONIBUS DE S. STEPHANO REGE FR. PELBARTI DE TEMESWAR.

1. Nascitur interea filius dicto principi — quem beatus Adalbertus episcopus Stergonii baptizauit, ipsumque Stephanum secundum reualationem nuncupauit. Serm. 76.

2. Contra hunc Christi militem insurrexerunt nobiles de Symigio et de Zala prouincys cum infinita multitudine. — — Quibus debellatis dux victor de eorum possessionibus et agris dotauit monasterium Sancti Martini, in loco qui dicitur sacer mons. ubi Sanctus Martinus orationis locum sibi elegerat dum in pannonia degebat. ibid.

3. Sicque factum est post debellationem Atthon, qui in Nyr morabatur, quod infra septennium gens hungarorum fidem suscepit catholicam. Erat enim dux Stephanus corpore paruus animo magnus audax, bellicosus, prudens, et christum colens. Sermo. 76.*)

---

*) Hunnorum, id est ungariorum rex nomine Stephanus, statura pusillus, corde magnus. Chron. S. Aegidii in Brunswig. Leibnitz. SS. rer. Brunsv. T. III. p. 579.

4. Hanc potestatem habuit beatus Stephanus rex, qui nemini peruerso parcebat, etiam palatino vel magnifico, vnde quendam palatinum, propter iniustum iudicium excoriari fecerat. Sermo. 77.

5. Post hoc regnum hungarie in decem partes diuidens, et in illis episcopatus decem instituens, Stergoniensem ecclesiam metropolim omnium prefecit. quibus demum episcopatibus alios duos rex Ladislaus sanctus vna cum fratre suo Geysa superaddidit. Ser. I.

6. Astricum abbatem, quem in ecclesia colocensi pontificem statuerat, anno quarto post obitum patris sanctus rex Romam destinauit, ut episcopatus predictos pontifex romanus auctoritate sua muniret, ac vt ipsum iuxta diuinam reuelationem regia insigniret corona. — — — Papa cuncta prout fuerant postulata concessit, crucem insuper ferendam ante regem in signum apostolatus misit. — — Itaque ipse Astricus cum gaudio ad propria rediit. Unde anno domini millesimo primo Stephanus dux in ciuitate Albensi letantibus cunctis coronatus est. Ser. I.

Deinde quarto post obitum patris anno Astricum presulem colocensem qui alio nomine Anastasius nominabatur, ad apostolicum destinandum deputauit, vt se regia corona insignire dignaretur. Ser. II.

7. Beatus Stephanus zelo dei succensus voluit christum vindicare de saracenis, terram sanctam occupantibus; imo votum fecerat ire in Hierusalem contra Christi nominis inimicos. vt ubi roseus sanguis domini Jesu effusus est in redemtionem nostram, ibi effunderetur et suus. Sed tunc votum ipsum ex certis causis adimplere nequiuit, sed redemit edificando monasterium quod est situm supra Waradinum in honore beati Stephani prothomartiris. postea vero domino concedente, cum socero suo Henrico imperatore iuit Hierosolimam, ac per fortes manus hungarorum prostrati fuerunt saraceni. quod videns imperator spolia eorum quaeque nobilia eidem concessit. ipse vero omnia in diuinum erogauit honorem. nam Hierosolymis mona-

chorum cenobium edificauit, prediis et vineis ad quotidianum victum sufficientibus dotauit. inde veniens Constantinopolim, ibi quoque ecclesiam magnam erexit. demum declinans Romam, ubi sub titulo b. Stephani prothomartyris hospitale construxit, hungaris limina apostolorum visitantibus. vbi duodecim canonicos instituit, cum victualium abundantia. inde tandem gloriose rediit ad propria, per dominos et barones almanicos honorifice associatus. Ser. I.

8. Rex noster Stephanus omnibus iustitiam impendit. Nam eos qui sexaginta viros Besseorum venientes ad audiendum verbum dei cum multo auro et argento, spoliarunt, suspendi iussit in diuersis regni confinibus. Ser. II.

9. Filii sui paruuli, videlicet Otto et alii quorum nomina tacentur, diu ante mortem regis decesserunt. solus beatus dux Emericus remanserat, quem credebat post se regnaturum, erga quem diuina sepesepius conspexerat misteria; spiritu quoque prophetie eundem plenum cognouerat, propterea multum afficiebatur ad eum. Sed domino disponente est factum, ut octo annis ante patris obitum migraret in celum, prius gloria coronandus in celis, quam temporali honorandus corona in terris. de cuius transitu rex ipse plurimum contristatus extiterat, sed trigesima die post illius obitum tristitia fuit commutata in gaudium, dum beatus dux variis cepit choruscare miraculis. Ser. I.

10. Tandem domino reuelante diem sui obitus pius ipse rex precognouit, accersitisque episcopis et primis ac nobilibus hungarie exhortatus eos vt in fide fixi starent, ac vt iustitiam omnibus ministrarent. Famaque sui transitus per regnum velocius diffusa, ceperunt nobiles et ignobiles clerici et vulgi ad illum confluere. ipse vero corpore domini nostri Jesu se muniens, in die assumptionis virginis Marie, quam in patronam assumpserat, eleuatis in celum manibus, testamentaliter hoc regnum eidem commendauit. Tandem diutius orans beatum deo reddidit spiritum. O quantus luctus omnium baronum et nobilium, maxime autem pauperum! O tunc audires fletus vsque

ad sidera more vngarico extollentes. Ipsumque deploratum honorifice sepelierunt in ecclesia beate virginis Albe, quam ipse viuens construxerat. Ser. I. Appropinquante extrema die, congregatis baronibus et nobilibus, longo sermone eosdem in fide catholica adhortando roborauit, et eis valedicens, se et regnum in manibus gloriose virginis testamentaliter legauit. sicque in die assumptionis virginis gloriose, anno domini millesimo tricesimo quarto beatam deo reddidit animam. Serm. II.

11. Post quadraginta quinque annos cepit miraculis choruscare. ex hoc arguunt aliqui, quod illis quadraginta quinque annis fuerit in purgatorio, ex quo non fuerunt facta miracula per ipsum vsque tunc. sed horum opinio non est valida, quia dicit beatus Gregorius, quod multorum corpora venerantur in terris, quorum anime sunt in penis. Et sic existens in purgatorio, quandoque facit miracula, sicut exemplificat beatus Gregorius. Ser. I. Elapsis XLV annis beatus rex Ladislaus voluit sanctum regem cathalogo sanctorum ascribi facere. Cumque adesset domini pape legatus, lapidem desuper tumbam regis positum nullis modis leuare valuerunt. reuelatum autem fuit cuidam monacho et cuidam sanctimoniali, quod lapis ideo leuari non possit, quia rex Salomon in captiuitate regis Ladislai detineretur. quo libertati restituto, lapis quasi sine pondere leuatus est. Ser. I.

12. Aperientes tumbam — anulus in dextera regis positus non est repertus. — Quendam monachum rex increpauit vt hinc discederet, qui rubore perfusus discessit. et dum in choro resideret tristis, quidam lintheamen inuolutum dedit eidem dicens: accipe, — de qua re alias et suo tempore reuela. qui accipiens inuolutum lintheamen procedens retro altare explicauit, et inuenit dexteram sancti regis, cum anulo integram. qua visa gaudio repletus iterum complicuit, et cum gratiarum actione ad monasterium suum Zenthiogh vocatum cum omni veneratione portauit. et tandem suo tempore sancto regi Ladislao, quod

sibi angelus dexteram sancti regis dedisset, reuelauit. qui conuocatis episcopis festum dextre Stephani regis celebrandum instituit, quod modo consuetudo non colit, sed tamen pia deuotione in ciuitate Albanensi positam, olim misericordie operibus plenam omnis populus veneratur.

D) PARS LEGENDAE, ET LAUDES S. STEPHANI REGIS E BREVIARIO STRIGONIENSI ANNI 1515. AD DIEM 20. AUGUSTI.

Lectio. 1. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. Huius patris datum optimum et donum perfectum in omnes large proueniens (quia nullum spernit, sed omnes homines vult saluos fieri et ad agnitionem veritatis venire) et ad hungaros usque, quos christianorum flagellum quondam constat fuisse, diffusum est. Quod qualiter et quando factum sit, stili officio memorie commendare congruum duximus.

2. Ea siquidem tempestate qua gens prefata dei ecclesiam depopulabatur, erat in ea princeps quidam quartus ab illo, qui ingressionis hungarorum in pannoniam dux primus fuit, nomine geysa, seuerus quidem et crudelis veluti potentialiter agens in suos, misericors autem et liberalis in alienos, et precipue in christianos.

3. Ritu paganismi licet adhuc quidem obuolutus, tamen appropinquante spiritualis fulgore charismatis, cum omnibus circumquaque positarum prouinciarum vicinis de pace cepit attente tractare, ut iam in illo posset agnosci, cuius filius desideraret fieri; secundum dictum saluatoris nostri dicentis in euangelio: beati pacifici, quoniam filii dei vocabuntur.

4. Statuit insuper preceptum cunctis christianis ducatum suum intrare volentibus hospitalitatis et securitatis gratiam exhiberi; clericis et monachis potestatem concessit presentiam suam adeundi; quibus voluntarium libenter

auditum prebens; orthodoxe fidei semen pectoris in horto satum delectabatur germen emittere.

5. Quid plura? adest tempus celitus dispositum: credidit ipse cum familiaribus suis, et baptizatus est; omnes ditioni sue subditos se pollicens christiano nomini mancipaturum. Cumque nimium esset sollicitus de rebellibus domandis, et ritibus sacrilegis destruendis, et episcopatibus secundum estimationem suam ad profectum sancte ecclesie statuendis, mirabili visione noctu consolatus eum dominus, fecit astare sibi iuuenem delectabilem aspectu.

6. Qui dixit ei: pax tibi christi electe; iubeo te de sollicitudine tua fore securum; non tibi concessum est quod meditaris, quia manus pollutas humano sanguine gestas. De te filius nasciturus egredietur, cui hec omnia disponenda diuine prouidentie consilio commendabit dominus. Hic erit unus ex regibus electis, coronam vite secularis commutaturus eterna. Verumtamen virum spirituali legatione tibi transmittendum honorificabiliter suscipito, susceptum venerabiliter habeto, exhortationibus eius non fictum cordis fidelis assensum prebeto.

HYMNUS.

EX ANTIPHONIS ET RESPONSORIIS.

Adest festum venerandum
  Sancti regis Stephani
Multa laude celebrandum
  Omni die seculi.
Gaudeant qui sunt heredes
  Per hunc facti domini.
Et sanctorum coheredes
  Meruerunt fieri.

Iste sanctus predicator
  Hungarorum primitus
Christiane legis lator
  Factus est diuinitus;
Pro binis tradens bis bina
  Duplicato precio,
Vel pro quinque dans bis quina
  Reportanda domino.

Jam cum celos ascendisset
Nostra salus Dominus,
Atque suis transmisisset
Dona sancti spiritus;
Repleuerunt partes mundi
Duodeni proceres,
Seminantes verbum dei
Ad saluandos homines.

Gaudebat ergo patrono
Suo queque regio,
Et grates pro tanto dono
Referebat Domino.
Restabat pannoniorum
Plebs sine consilio,
Clausa tenebris errorum
In mundi naufragio.

Genti tamen deuianti
Per mortis illecebras,
Et procaciter amanti
Cecitatis tenebras;
Ideo differebatur
Salutis preconium
Ut post moras assequatur
Maius beneficium.

Ore namque doctor quanto
Datur illi serior,
Dono dei missus tanto
Venit excellentior.

Valde felix es dicenda
A cunctis pannonia,
Erumpe nunc letabunda
In dei preconia.

Qui tibi non preceptorem
De plebe discipulum,
Sed regem predicatorem
Misit et apostolum.

Nam ut Athila sub rege
Hungarorum populus
Tyrrannicus lata lege
Seuiit in credulos;
Sic sub Stephano regnante
Vertitur crudelitas.
Quo figura transmutante
Formatur credulitas.

Dudum namque desolatam
Dominus hungariam,
Penitusque nulli datam
Predicantum peruiam,
Per hunc sanctum euocauit
Ad baptismi gratiam,
Cum suis hereditauit
Dans celorum patriam.

Geise namque duci sancto
Sanctus puer nascitur,
Qui diuina matris ventre
Gratia perfunditur.
Et Stephano premonstrante
Qui post Christum passus est.
Sath! quam nasceretur ante
Stephanus vocatus est.

Iste deo se deuouit
Ab adolescentia,
Nilque lubricum cognouit
Ipsius infantia.

Sed cum iuuentutis metas
Sanctus primum posuit,
Atque iam virilis etas
In eo inualuit;
Ex tunc factus est famosus
Eximiis laudibus,
In bellis victoriosus
Prudens et fortissimus.

Sub mundanis armis dei
Miles erat strenuus,
Nam in bonis erat ei
Affectus precipuus.
In diuinis studiosus
Vir fuit operibus;
Forma quidem speciosus,
Magis tamen moribus.

Corde deo credens erat,
Quod monstrabat opere.
Omnibus sufficiebat
Ipse solus munere.
Rex erat et predicator
Dupla dans stipendia,
Unde corpore perceptor
Gauderet et anima.

Vir beatus pardum nempe
Fert ad caulas ouium.
Et leonem ad presepe
Bouis ferocissimum.
Nam minis precibus donis
Terret mulcet incitat,
Prauos mites vanos, bonis
Christi quos deificat.

Si plebs ista suscepisset
Alium discipulum,
Forsitan ei misisset
Deus quemdam alium.
Sed rebellis gens et fortis,
Gens grandis audacie
Per eiusdem virum sortis
Fuit danda gratie.

Magnus Sampson ad domandum
Hic leonem mittitur,
Ad hungaris predicandum
Rex fortis eligitur.
Ex leonis fauce mellis
Fauus gratus nascitur,
Ex hungari ore dulcis
Deo laus exprimitur.

Pauperes dono iuuabat
Nunc pecuniario,
Nunc hos euangelizabat
Salutis alloquio.
Sapienter dispensare
Norat donum Domini,
Et mensuram erogare
Pro tempore tritici.

Inter cetera laudanda
Virtutis insignia,
Patientie miranda
Fuit illi gratia.
Et monstrat quod depilata,
Pauperum proteruia.
Eius barba, dum collata
Sunt his beneficia.

Et ille tunc fuit letus
  Dare deo gratias,
Pro quo dignus est inuentus
  Pati contumelias.

Nobilis stirpe rex sanctus
  Sed fide nobilior,
Charitate roboratus
  Et spei non immemor.
Postquam cursum consummauit
  Presens spernens seculum,
Jesu Christo commendauit
  Gloriosum spiritum.

Offerunt quem ad superna
  Angelorum agmina,
Regnatura in eterna
  Beatorum patria,
Rege sibi pro sublato
  Pii merent hungari,
Sed collega pro collato
  Ciues gaudent celici.

Mundi reges moriendo
  Regno finem faciunt,
Qui ut sibi celsitudo
  Regni detur pereunt;
Sed hic sanctus terminando
  Terrenam potentiam,
Sumsit regnum inchoando
  Sempiternam gloriam.

Scandit sanctus alta celi
  Stephanus palatia,
E parentis sorte primi
  Sublatus occidua.

Hunc exaltat in excelso
  Celestis militia,
Et collega pro suscepto
  Deo reddit cantica.

Regia urbs Alba gaude
  Tanto digna principe
Decorata quidem laude
  Re simul et nomine:
Eo quod tam preciosi
  Corporis egregium
Possidere meruisti
  Felix facta precium.

O conditio miranda
  Et felix per omnia
Cum a regno fit ad regna
  Transitus perpetua;
Cum bonis continuantur
  Terrenis celestia.

E MISSALI QUINQUEECCLESIENSI ANNI 1499.

Corde voce mente pura
Solvens Deo laudis iura,
Idolorum spreta cura
    Laetare Pannonia.
De supernis illustrata,
Verbo vitae satiata,
Crucis Christi iam fers grata
    Libens testimonia.

Ergo per quem tibi datur
Salus coelum reseratur,
Via vitae demonstratur
Et iter iustitiae;
Hunc extollas digna laude,
Huius festum colens gaude,
Et gaudenti iam applaude
Cantico laetitiae.

Hic est Geisae ducis natus.
Visione praesignatus,
Ante ortum est vocatus
Stephanus a Stephano.
Credit pater et miratur,
Parit mater et laetatur,
Infans crescens exaltatur
Ut cedrus in Libano.

Nam ut puer adolevit,
Mox virtutum donis crevit,
Coelos amans ima sprevit,
Haerens Dei filio.
Huius carnis tecta velo
Mens, intenta semper coelo
Ardet tota Dei zelo
Instat evangelio.

Per hunc Christus praedicatur,
Turba credens baptizatur,
Fides Christi dilatatur
In tota Pannonia.
Hic ad instar Salamonis
Struit templa ditat donis,
Ornat gemmis et coronis
Cruces et altaria.

Ad regendum haec praelatos
Viros ponit literatos,
Justos fidos et probatos
Ad robur fidelium.
Sic talentum sibi datum
Deo reddens duplicatum,
Ab aeterno praeparatum
Sibi scandit solium.*)

Ubi Christo sociatus,
Et a Christo sublimatus,
Regnat semper coronatus
In superna patria.
Hunc devoti veneremur
Hunc ex corde deprecemur
Ut per ipsum sublevemur
Ad coelorum atria.

E) EXCERPTA EX VITA S. ADALBERTI MARTYRIS.

Anno 983. 29-a Julii Veronae episcopus consecratur. „Archimandrita Moguntinus gravis homo Willigisus Adalberto, cui Deus interiori gratia benedixit venerabile caput oleo unxit et in presentia Imperatoris ad sacerdotis altitudinem provexit.“

*) Hos versus laudat Stephanus de Werbewcz Trip. P. I. tit. XI.

A. 989. Romam proficiscitur. „Haec (Theophania Ottonis II. vidua, quae festum Natalis Domini Romae agebat) tunc ubi sanctum virum adesse cognovit Adalbertum nominatissimum episcopum, et Jerosolimam properare audivit, clam ad se vocat; oransque ut pro anima senioris oraret, massam obtulit argenti ingentem. Accipiens vir Dei onus argenti, suo itineri aut necessitati nil providet, omnia secutura nocte pauperibus expendit.“ Pertz. SS. IV. p. 601. Et „ad S. Bonifacium monachilem vestem accepit.“ ibid.

A. 994. Pragam revertitur. „Post populus terrae episcopum revocat. — amborum, Papae et abbatis imperio parens, fracto suo libitu flens episcopus ad suum episcopatum redit, pro cuius regimine virgam, pro cuius pignore annulum, dante Apostolico accepit.“ ib. p. 602.

A. 995. Hungaros adit, Romamque iterato proficiscitur. „Cogitans episcopus, quod nec sibi nec illis cassus labor profuisset, animae vero suae talis statio obesset, papati suo ait: Scias certum, aut ubi ego sum venies, aut amplius me nunquam videbis. — — Non tacendum, quod iuxta positis Ungariis, nunc nuncios suos misit, nunc se ipsum obtulit; quibus et ab errore suo parum mutatis umbram christianitatis impressit. Ergo divinus heros ascendit equos, dulcem Romam revisit, et quasi post maris pericula quassa navis, occupat optatum portum. Hic secretos monasterii sinus, caram requiem intrat.“ ib. p. 603.

A. 996. Rursus ad sedem suam Pragensem remittitur. „Igitur purpura natus Otto rex tertius causa scandendi culmen imperii, ut mos est a Magno Karolo regum Francorum, multo comitatu Romam intravit. — Papa Gregorius Cesarem benedixit: populus kyrie eleison celsa voce canunt: ascendit unctus cum corona imperii Imperator Augustus. — Post haec facta est Synodus: zelo iuris tactus Moguntinus archiepiscopus antiquam cantilenam cantat, episcopum sanctum a quiete monasterii ad relictos greges abstrahere parat. Assensit papa Gregorius, et semel susce-

ptum impune non posse dimittere gregem Scripturarum voce testatur. Sive vult, sive non vult vir Dei eat, sedentes episcopi inquiunt, aliter vinculis anathemicis nectimus. At ille secretum petens ad Papam ait: — — Mitiga aerumnam meam, si audiunt oves quam clamo vocem, vivo et morior cum eis: si non; licentia tua Apostolice bone, vadam ad eos, qui nesciunt nomen Domini, exteras et incultas gentes. Acquievit libens, voluntati hominis Dei papa Gregorius, ut erat satis bonus, quantum permisit vaga iuventus. Reliquit monasterium. — Igitur cum puero imperatore alpium nubila tranans, causa orationis Turoniam pedester petit. — Parisius quoque pedester venit, ubi sanctus et pretiosissimus martyr Areopagita Dionysius fuso sanguine corpore requiescit. — Huic caput inclinans ad Floriacum monachorum ingens coenobium avido cursu volat. — Hinc ad imperatorem redit. — Ergo quem suo labori adiutorem Deus praeparavit, ducem Polanorum, Dei servorum patrem Bolezlavum rerum dub^ius petit. Cuius auxilio nuncios suos miserat ad insolentem uxorem (ecclesiam Pragensem). — Qui (nuncii) cum redeunt, qualem episcopus amavit, plenam contumeliis legationem referunt. Accipiens ille libellum repudii — dirupisti, inquit. Deus vincula mea." ib. p. 603—606.

A. 996. *Ultima legatio eius ad Hungaros pro papate suo dimittendo.* „Miserat his diebus ad Ungrorum seniorem magnum, immo ad uxorem eius, quae totum regnum viri manu tenuit, et quae erant viri ipsa regebat, qua duce erat christianitas coepta, set immiscebatur cum paganismo, polluta religio, et coepit deterior esse barbarismo lanquidus et tepidus christianismus. Ad quam tunc pervenientes illuc nuncios, in haec verba epistolam misit: Papatem meum, si necessitas postulat et usus tene: si non, propter Deum ad me mitte eum. Ipsi vero clam chartam alia mente, alia sentencia misit: Si potes, inquit, cum bona licentia bene; si non, vel fuga fugiens tempta venire ad eum, qui te desiderio concupiscit Adalbertum." ib. p. 607.

A. 996. *Ascherieus clericus Adalberti, et archiepiscopus.* „Astericus (codex membr. Königswartensis: *Aschericus.* vide Bielowsky Monum. Pol. I. p. 205.) eius clericus contra sanctum virum arguendo increpando cum multa inutilia furibundo animo loqueretur, ultra limitem rationis proterva contentione progressus, quasi quem amplius videre nollet magna cum amaritudine reliquit. Arrepto autem itinere tota die ipse cum socio homine suo equitans, errare coepit, ut cum viam haud aliter atque manum suam sibi notam, invenire non posset, ex poena cognosceret, quam grave peccatum cum episcopo contendendo perpetrasset. Porro ad vesperam casso labore reversus in urbem, quod ira dictante ex humana infirmitate deliquisset, poenitere coram Deo toto corde coepit.“ ib. p. 603.

Passio sancti Adalperti. 1. Sanctus Adalpertus primis Sclauorum natalibus Slauuinihe patre et Adilbure matre editus, prahticę uirtuti theoricęque desudans ascendendo succrescit, donec pubedo uix dum episcopale in Praga conscendit culmen. Sedis quoque suę ęcclesiam pastorali regimine, ut dignum erat, quinque annorum per curricula regens, intra semet ipsum tam glorianter sese in populo haberi detestando, ac de hac gloria exui ambiens, Romam pedetemptim aggressus est, ultra mare concupiscens exulari, sed ab apostolico retardatus est. Incolarum autem eiulatio, spem suam abesse condolens, Willigisum magantiensem archiepiscopum pro reditu patris sui interpellabant, uti auctoritate sua eum revocaret.

2. Suscepta enimuero hac epistola vir domino plenus uoluntati suorum remeando satisfecit. Paulisper in aduentu suo eos demulcens, itemque eodem anno paucis secum sumptis Romam regrediens Johanne papa consentiente, in monasterio S. Bonifacii monachico induitur habitu. Tribus tantum modo annis cum his moratus fratribus. Ottone igitur tertio imperatore urbis Romane excelsa menia ingrediente, inibi sanctum uirum inueniens, ut ad Saxoniam exiret, multipliciter et humiliter exoratus est.

Cesaris petitionem haud renuens, uoluntatem suam impleuit. —

3. Saxonica tellure in breui recedens, in Polaniam regionem cursum direxit, et ad *mestrf.* locum diuertens, coenobium ibi construxit, monachosque quamplures congregans, *Aschricumque* abbatem eos ad regendum constituit, qui postea *archiepiscopus* ad *Sobottin* consecratus est; in quo loco aliquantisper moratus est. Post hec uidelicet sumpto baculo paucis se comitantibus latenter quasi fugam moliens Pruze se intulit regioni. Urbi quoque Cholinum appropinquans venerat in quoddam nemus ciuitati propinquum, satis uenustum, in quo erat planicies iocunda, eodemque vigilia erat S. Georgii martiris etc.

E codice qui asservatur in regia bibliotheca Monachii, signato n. 18,897. edidit August. Bielowsky. Monum. Poloniae historica. Lwow. 1864. Tom. I. p. 153. 154.

IV.

Epistola Silvestri II. PP. ad Stephanum regem.

Silvester episcopus servus servorum dei Stephano duci Hungarorum salutem et apostolicam benedictionem. Legati nobilitatis tuae, inprimis vero carissimus confrater noster Astricus venerabilis colocensis episcopus, tanto maiori cor nostrum laetitia adfecerunt, ac minori officium suum labore confecerunt, *quanto diuinitus praemoniti cupidissimo animo illorum adventum, de ignota nobis gente praestolabamur. Felix legatio, quae coelesti praeventa nuncio, atque angelico pertractata ministerio, prius dei conclusa est decreto, quam a nobis audita fuisset. Vere non volentis, neque currentis, sed secundum apostolum miserentis est dei, qui teste Daniele mutat tempora et aetates, transfert regna et constituit, revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta: quia lux cum eo est, quae sicut docet Joannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Primum ergo gratias agimus

deo patri, et domino nostro Jesu Christo, qui temporibus nostris invenit sibi David, filium Geyzae, hominem secundum cor suum, et luce irradiatum celesti, suscitavit illum pascere Israel puerum suum, electam gentem Vngarorum. Deinde laudamus pietatem sublimitatis tuae in deum, et reverentiam erga sedem apostolicam, cui divina patiente misericordia, nullo meritorum nostrorum suffragio praesidemus. *Tum vero largitatem liberalitatis, qua beato Petro apostolorum principi, regnum ac gentem, cuius dux es, cunctaque tua ac temet ipsum per eosdem legatos et literas perpetuum obtulisti, digno praeconio commendamus.* Hoc enim facto egregio aperte testatus es, et revera talem te merito esse demonstrasti, qualem ut nos te declarare dignaremur, studiose expetivisti. Sed parcimus. Neque enim necesse est, ut quem tot et talia praeclara pro Christo gesta facinora voce publica clamant, quemque deus ipse commendat, amplius commendemus. Quare gloriose fili, cuncta a nobis, et sede apostolica expostulata, diadema, nomenque regium, Strigoniensem metropolim, et reliquos episcopatus, de omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate, *praemonente et ita iubente eodem omnipotente deo* cum apostolica et nostra benedictione libenter concessimus, concedimus, et impertimur. Regnum quoque a munificentia tua S. Petro oblatum, teque una, ac gentem et nationem Vngaricam praesentem et futuram, sub protectionem sanctae romanae ecclesiae acceptantes, prudentiae tuae, heredibus, ac legitimis successoribus tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac possidendum reddimus et conferimus. *Qui quidem heredes ac successores tui quicunque posteaquam per optimates legitime electi fuerint, teneantur similiter nobis et successoribus nostris per se vel per legatos suos debitam obedientiam, ac reverentiam exhibere, seque sanctae romanae ecclesiae, quae subiectos non habet ut servos, sed ut filios suscipit universos, subditos esse ostendere, atque in catholica fide, Christique domini ac salvatoris nostri religione firmiter perseverare eandemque promovere.* Et quia nobilitas tua apo-

stolorum gloriam aemulando, apostolicum munus, Christum praedicando, eiusque fidem propagando, gerere non est dedignata, nostrasque ac sacerdotii vices supplere studuit, atque apostolorum principem prae ceteris singulariter honorare: idcirco et nos singulari insuper privilegio excellentiam tuam, tuorumque meritorum intuitu, heredes ac successores tuos legitimos, *qui sicut dictum est electi, atque a sede apostolica approbati fuerint*, nunc et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, ut postquam tu et illi corona, quam mittimus, rite iuxta formulam legatis tuis traditam coronatus, vel coronati extiteritis, crucem ante se apostolatus insigne, gestare facere possis ac valeas, atque illi possint valeantque; et secundum quod divina gratia te, et illos docuerit, ecclesias regni tui praesentes et futuras, nostra ac successorum nostrorum vice disponere, ac ordinare apostolica auctoritate similiter concessimus, volumus, et rogamus; sicuti in aliis litteris, quas in communi ad te, optimatesque regni et cunctum fidelem populum, per nuntium nostrum, quem ad te dirigimus, deferendis plenius haec omnia explicata continentur. Oramus omnipotentem deum, qui *te de utero matris tuae vocavit nomine tuo ad regnum et coronam, quique diadema, quod duci polonorum confectum per nos fuerat, tibi dandum mandarit*, augeat incrementa frugum iustitiae suae, novellas plantas regni tui rore suae benedictionis perfundat largiter, regnumque tuum tibi, teque regno servet incolumem. ab hostibus visibilibus et invisibilibus protegat, ac post terreni regni molestias, in coelesti regno corona adornet aeterna. Data Romae VI. kal. april. Indictione decima tertia.

V.

Privilegium S. Stephani regis, anni 1001.

1. (Chrismon) In nomine domini dei summi. Stefanus[1]) superna prouidente clementia ungrorum[2]) rex. Credimus et uere scimus,

2. si locis diuino cultui mancipatis potestates atque honores adagmentauerimus,[3]) id non solum laude humana predicandum, uerum diuina mercede remune-

3. randum. Quo circa omnium sanctae dei aeccelesiae fidelium nostrorumque presentium atque futurorum sollers comperiat intentio, quod nos interuentu, consilio, et consensu domini

4. anastasii abbatis de monasterio sancti Martini in monte supra pannoniam sito, ab genitore nostro incepto, quod nos per dei subsidium ob animae nostrae reme-

5. dium pro stabilitate regni nostri ad finem perduximus, talem concessimus libertatem qualem detinet monasterium sancti benedicti in monte cassino, quia propter

6. orationes sanctas fratrum eiusdem monasterii consiliante domino anastasio prescripto abbate et iugiter adiuuante confortati et laureati sumus. Singulare namque suffragium

7. quod per merita beati Martini in puericia mea expertus sum memoriae posterum tradere curaui. Ingruente namque bellorum tempestate, qua[4]) inter theotonicos[5]) et

8. ungaros seditio maxima excreuerat, precipueque cum ciuilis belli ruina urgerer, uolente comitatu quodam nomine[6]) sumigiense[7]) patria me sede repelle-

9. re, quid fluctuanti animo consilii darem, quaque

---

[1]) Stephanus. 2. 3. 4. 5. [2]) Ungarorum. 3. 4. 5. [3]) adaugm. 3. 4. 5. [4]) que. 4. quia. 5. [5]) theutonicos. 3. theothon. 4. [6]) n o m i n e om. 3. 4. [7]) Sumyg. 2. Symig. 5.

me[1]) uerterem, tanta tactus uerecundia; astantibus ducibus uidelicet poznano,[2]) cuntio,[3]) orzio, domino quoque
10. dominico archiepiscopo uotum uoui sancto Martino quod si de hostibus interioribus et exterioribus eius meritis uictor existerem, supranominati comitatus decimationem
11. de omnibus negociis, prediis, terris, uineis, segetibus, uectigalibus, uinumque[4]) hospitum quod in prediis eorum excresceret, ne parrochiano episcopo pertinere uideretur, sed
12. magis abbati eiusdem monasterii sub testimonio prefatorum ducum, multorumque comitum, absque ulla mora subiugarem. Dumque post cogitatum uictoria potirer,
13. quod animo reuolueram operis efficatia complere studui. necdum enim episcopatus et abbatiae preter ipsum locum in regno ungarico sitę erant. Quod si uos
14. fideles licuit mihi quo uolui loco episcopatus et abbatias statuere, an non licuit cuipiam loco quod uolui ut facerem? Et ne adhuc aecclesia[5]) sancti Micha-
15. helis[6]) uacua esse uideretur, uel episcopus parrochianus iniurias querimoniasue in collectione decimationis pateretur, ei curtem quę uocatur Courtou[7]) cum
16. hominibus[8]) eidem pertinentibus tradidi. Quod si ipse contra mea statuta quid inique agere uel adquirere uoluerit, ante deum iudicem uiuorum et mortuorum in
17. die iudicii se contendere mecum sciat. Adhuc autem subiungens dico: Sit*) idipsum monasterium ab omni inquietudine semotum, habeantque monachi
18. post transitum sui cuiusque abbatis alium abbatem securiter eligendi, et[9]) a quocunque uelint episcopo

---

[1]) parte add. 4. [2]) paznano. 5. [3]) cuncio. 2. concio. 3. 4. contio. 5. [4]) uinoque. 4. 5. [5]) ne eccl. S. Mich. adhuc. 3. [6]) Michaelis. 2. 3. 4. 5. [7]) Curtou. 2. Corthou. 3. 4. 5. [8]) omnibus 3. [9]) et. om. 4. *) autem. add. 4. 5.

consecrandi eum, sitque illis licitum ordines accipere[1]) quouis loco,

19. et a quocumque episcopo. Ante neminem uero abbatum capella incedat, nisi ante patrem eiusdem monasterii, propter reuerentiam et sanctitatem ipsius loci, more-

20. que episcopi in sandaliis[2]) missam celebret. Precipimus itaque sub testificatione saluatoris domini nostri Ihu christi ut nullus archiepiscopus, episcopus,[3]) dux, marchio, comes,

21. uicecomes, seu aliquis homo magnus siue paruus de iam fato monasterio se intromittere in mancipiis, terris, uineis, decimationibus,

22. piscationibus, ripis, placitis, sine concessione abbatis eiusdem monasterii audeat. Quod qui fecerit componat centum libras auri optimi, medium camerae nostrę

23. ac[4]) medium prefato monasterio, suisque rectoribus, maledictionisque perpetuae uinculo ęternaliter feriatur. Quod ut[5]) uerius credatur hanc paginam manu propria

24. roborantes sigillari iussimus. Signum domini Stefani[6]) incliti regis. Dominicus archiepiscopus uicecancerarius[7]) fecit.

25. Anno dominicae incarnationis MI. I. indictione XV. anno stephani primi regis ungrorum[8]) secundo, hoc priuilegium scriptum et traditum est. Hae[9]) sunt nominatae uillę in dedicatio-

26. ne aecclesię ab archiepiscopo sebastiano, et a comite Ceba: Piscatores Fizeg,[10]) Baluuanis,[11]) Temirdi,[12]) Chimudi, Wisetcha[13]) Vuosian, Murin, Curtov, Wag. Tertia pars

---

[1]) recipere. 5. [2]) sandalis. 2. 3. 5. [3]) eps archiep 4. [4]) et. 5. [5]) melius et verius. 3. 4. [6]) Stephani ceteri, sicut etiam infra linea. 25. [7]) cancellarius. 3. 4. 5. [8]) ungarorum. 3. 5. [9]) hee. 2. 4. 5. hec. 3. [10]) Fyzeg. 2. 5. Fuseg. 3. 4. [11]) Bolouanus. 4. Bolouanis. 5. Galouatus. 3. [12]) Temurdi. 2. 5. Temerdi. 3. 4. [13]) Wisecca 4. Wisecta 5.

27. tributi[1]) de poson[2]) in omnibus rebus, siue presentibus, siue futuris.[3])

VI.

De institutione morum ad Emericum ducem.

Incipit prologus.[4]) Cum cuncta dei nutu condita, suaque euidentissima preordinacione disposita, tam in amplitudine celi, quam in istis aptissimis[5]) terrarum climatibus racione intelligam,[6]) ac funditus senciam vigere atque subsistere, cumque affatim universa huius vite utilitati dignitatique gracia dei concessa, scilicet regna, consulatus, ducatus, comitatus, pontificatus, ceterasque dignitates, partim divinis preceptis atque institutis, partim legibus,[7]) partim iuridicalibus,[8]) partim civilibus, ac nobiliorum etate[9]) provectorum consiliis, svasionibus regi, defendi dividi coadunari videam: et cum omnes ordines ubique terrarum, cuiuscunque sint dignitatis, non solum satellitibus, amicis, servis precipere, consiliari[10]) sed eciam filiis pro certo sciam; tunc nec me piget[11]) fili amabilissime, hac vita comite tibi documenta precepta, consilia svasionis[12]) ponere,[13]) quibus tue vite mores, tibique subiectorum exornes, quando quidem[14]) summa concedente potencia post me regnabis. te autem studiose adhibita audiencia, patris precepta iuxta divine sapiencie svasum condecet observare, dicentis per os Salamonis:[15])

---

[1]) trib. om. 3. 4. 5. [2]) posan. 3. [3]) „in omn — futuris.“ des. in 3. 4. 5. pro quibus haec habent post vocabulum W a g: „Tributa autem quae a sancto rege stephano ecclesie sancti Martini sunt donata hec sunt: tercia pars de poson (posan).“ [4]) In nomine dni ihu xti incipit decretum S. Stephani regis. K. [5]) amplissimis. S. [6]) intelligentiae funditus. S. [7]) legalibus. K. [8]) sive iurisdictionibus. S. [9]) que add S. [10]) sive consulere svadere. [11]) me ne pigeat. [12]) svasiones. [13]) parare. [14]) quandoque. [15]) Salomonis. (c o n s t a n t e r.) S.

audi fili mi disciplinam patris tui,[1]) et ne dimittas legem matris tue, ut multiplicentur[2]) anni vite tue. ex hac ergo sentencia animadvertere poteris, si ea que paterna pietate tibi precipio contempseris, quod absit, quod iam amplius amicus dei et hominum non eris. audi vero inobedienciam prevaricatorum precepti, casum et precipicium. Adam quidem quem dominus conditor, tociusque creature plasmator, ad suam formavit similitudinem, eumque universalis fecit heredem dignitatis, vinculum fregit preceptorum, statimque dignitatum sublimitatem perdidit, ac mansionem paradisi.[3]) antiquus quoque populus a deo electus vel[4]) dilectus, quia ligamina mandatorum dei digitis condilata[5]) disiecit, idcirco diversis interiit modis. partem quidem terra deglutivit, partem quoque[6]) exterminator mortificavit, et pars invicem seviter fecit.[7]) Filius quoque Salamonis abiiciens verba pacifica[8]) patris[9]) idcirco multa mala passus est in regno et ad ultimum eiectus[10]) est. hoc tibi ne accidat obedi fili mi,[11]) puer es diviciarum vernula, plurimarum[12]) accola, fotus educatusque in deliciis cunctis, tocius expedicionum laboris, atque diversarum gencium incursionis expers, in quibus ego iam fere meam totam[13]) congruitatem.[14]) iam tempus adest, in quo tibi non semper pulvinum mollicie[15]) que te hebetem et delicatum reddant, adhibende sunt, quod est dissipacio virtutum, et viciorum fomentum, atque contemcio mortuorum[16]) mandatorum. sed interdum vim et[17]) asperitas tribuenda est que tuam intelligentiam ad ea que precipio reddant attentam. his ita perfectis[18]) redeamus ad propositum. *Expli-*

---

[1]) patris tui discipl. [2]) tibi. add. S. [3]) sublimitatem ac mans. parad. perdidit. S. [4]) et. [5]) digitis dei condita. [6]) partemque. [7]) se interfecit. [8]) pacifica verba. S. [9]) ac superbia elatus minatus est populo percussiones frameae pro mastigiis. K. S. patris. add. K. [10]) deiectus. S. (omisso est.) [11]) mihi S. [12]) pulvinaris. [13]) totam meam. [14]) contrivi etatem. [15]) pulvinar mollitiei. [16]) omittit. [17]) vim et. om. S. [18]) praefatis.

cit[1]) *prologus. Incipit capitulare.* I. de observanda catholica fide. II. de contemnendo (sic) ecclesiastico statu. III. de impediendo (sic) honore pontificum. IV. de honore principum et militum. V. de observacione iudicii et paciencie. VI. de tencione hospitum et nutrimento. VII. de magnitudine consilii. VIII. de excusacione (sic) filiorum. IX. de observacione oracionis. X. de pietate et misericordia, ceterisque virtutibus. *Expliciunt capitula. incipit liber.*

C. I. *De observanda catholica fide.* Quoniam ad regalis dignitatis ordinem non oportet nisi fideles et catholica fide imbutos accedere; idcirco sancte fidei in nostris mandatis, primum damus locum. in primis precipio, consilior[2]) svadeo fili carissime, si regalem cupis honestare coronam[3]) ut fidem apostolicam et catholicam[4]) tali diligencia et custodia conserves, ut omnibus tibi a deo subiectis exemplis (sic),[5]) cunctique ecclesiastici filii merito te verum christiane professionis nominent virum. sine qua pro certo scias, christianus non diceris, vel ecclesie filius. qui enim falso[6]) credunt, vel fidem bonis[7]) non implent et ornant operibus, quia fides sine opere moritur, nec hic honeste regnant nec eterno regno vel corona participant.[8]) si vero retinens scutum fidei[9]) habeas eciam galeam salutis, his quidem armamentis, contra visibiles et invisibiles[10]) legitime decertare[11]) poteris inimicos. nam ut[12]) ait apostolus: nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit.[13]) Ut patrem deum omnipotentem factorem tocius facture, et unigenitum eius filium dominum nostrum Jesum Christum[14]) de Maria virgine angelo nunciante[15]) natum, ac[16]) pro

---

[1]) sequentia usque Cap. I. desunt in S. [2]) consulo. [3]) curiam. [4]) cathol. et apost. [5]) exemplum praebeas. S. exemples. K. [6]) false. S. [7]) fid. in bonis. [8]) participantur. [9]) Si vero statum retines fidei, habes etiam galeas salutis. [10]) invis. et. visib. [11]) dimicare.. [12]) ut. om. S. [13]) fides ergo de qua loquor haec est. add. S. [14]) om. S. [15]) annunciante. [16]) et.

tocius mundi[1]) in crucis patibulo passum, et spiritum sanctum, qui per prophetas[2]) et evangelistas et apostolos[3]) locutus est, unam deitatem perfectam, indissolubilem, incontaminatam esse firmiter credas, et sine omni ambiguitate teneas. hec est fides catholica, quam sicut Anasthasius (sic) dixit,[4]) nisi quis fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. si qui[5]) aliquando infra tuam invenies[6]) potenciam, quod absit, qui hanc collacionem sancte trinitatis dividere vel minuere sive augere conantur, hos ipsos scias certe[7]) heresiarche servos, et non sancte ecclesie fiilios. tales vero nec nutrias, nec defendas, ne[8]) eciam inimicus dei videaris. huiusmodi enim viri sancte fidei filios omnino reddunt morbidos,[9]) et istam novellam sancte ecclesie plebem miserabiliter destruunt.[10]) hoc ne fiat principaliter cura.

C. II. *De contemnendo*[11]) *ecclesiastico statu.* In regali quidem palacio post fidem ecclesia secundum tenet locum, a capite nostro scilicet Christo primitus[12]) seminata, deinde per eius membra, utpote[13]) apostolos, sanctos et[14]) patres transplantata, et firmitus[15]) edificata, atque per totum orbem diffusa. et quamvis semper novam habeat prolem, in ceteris[16]) tamen locis quasi antiqua habetur, hic[17]) autem fili carissime in nostra monarchia adhuc quasi iuvenis et novella predicatur. atque ideirco caucioribus evidencioribusque eget custodibus, ne bonum quod divina clemencia per suam immensam misericordiam[18]) nobis concessit immeritis, per tuam desidiam, et pigriciam et[19]) negligenciam destruatur, et annichiletur. nam qui minuit aut fedat S. ecclesie dignitatem, ille Christi corpus mutilare nititur. ipse enim dominus dixit Petro, quem custodem magistrum-

---

[1]) salute. add. S. [2]) apostolos. [3]) om. S. [4]) dicit. [5]) om. S. [6]) inveniantur. [7]) esse. [8]) tu etiam videaris inimicus et ultor. [9]) morbosos. [10]) ac etiam dissipabunt. ad. S. [11]) continendo. [12]) prius. [13]) utique. [14]) sanctosque patr. [15]) firmiter. [16]) certis. [17]) haec. [18]) clementiam. [19]) atque.

que eidem posuit sancte ecclesie: tu es Petrus, et super hanc petram, edificabo ecclesiam meam. seipsum quidem nominavit[1]) petram, non ligneam neque[2]) lapideam, super se[3]) dixit, scilicet[4]) populum acquisicionis, et[5]) gentem electam, dominicum[6]) gregem, fide doctum, baptismate lotum, chrismate unctum; sanctam appellat super se edificatam.[7]) si quis[8]) huius ecclesie sancte[9]) membra vel parvulos scandalizat, iuxta evangelium dignum est preceptum,[10]) ut suspendatur mola asinaria collo[11]) eius et demergatur in profundum maris, idest: deiiciatur[12]) de potestate dignitatis,[13]) et maneat extra ecclesiam iustorum. in illa mundiali miseria, sicut ethnicus et publicanus. ac per hoc fili mi florenti[14]) studio debes invigilare in sancta ecclesia de die in diem[15]) — pocius augmentum accipiat[16]) quam detrimentum paciatur. inde quidem imprimis reges augusti dicebantur, quia augebant ecclesiam. hec[17]) et tu facias, ut et tua corona laudabilior, et vita beatior et prolixior habeatur.

C. III. *De impendendo honore pontificum.* Regum[18]) solium ornat ordo pontificum[19]) — per hoc in regali dignitate tercii[20]) possident locum. potifices carissime fili sint tibi*) seniores, illos ita custodias sicut oculorum pupillas. si illorum benevolentiam habebis[21]) neminem adversariorum timebis, illis quidem te observantibus eris securus. in omnibus illorum precacio commendabit te omnipotenti deo. illos cum[22]) deus humani[23]) generis fecit[24]) custodes, fecitque deus[25]) speculatores animarum ac tocius ecclesiastice dignitatis, atque divini sacramenti composi-

---

[1]) nominabat. [2]) vel. [3]) edificatam ecclesiam. add. S. [4]) sed. [5]) om. S. [6]) divinam. [7]) ecclesiam dixit et appellat. add. S. [8]) infelix add. S. [9]) s. eccles. [10]) iuxta evangelii precept. dignus est. [11]) ut mola susp. asin. in collo. [12]) eiiciatur. [13]) potestatis dignitate. [14]) ferventi. [15]) ut addit S. [16]) capiat augm. [17]) hoc. S. [18]) regium. K. S. [19]) ac. add. K. S. [20]) tertium. S. *) sint tibi. om. S. [21]) habes. [22]) enim. [23]) divini. [24]) constituit. [25]) om. S.

tores [1]) et datores. sine enim illo [2]) nec constituuntur reges, nec principatus. [3]) per illorum interventum delicta delentur hominum. si illos perfecte amas, te ipsum sine dubio sanas, tuumque regnum honorifice gubernas. in manus enim illorum posita est potestas ligandi nos in peccatis et a peccatis solvendi. testamentum enim sempiternum statuit deus illis [4]) eosque segregavit ab hominibus, et sui nominis atque sanctitatis fecit participes, et humano die interdixit reprehendendos esse per David deificum regem: nolite tangere christos meos. ille autem tangit christos dei, qui contra divinum et [5]) canonum institutum, sacri ordinis viros falsis criminacionibus [6]) fedat, atque in publicum protrahit. quod te omnino fili mi agere prohibeo, si vis beatus vivere et tuum regnum honestare, quia in his rebus in primis offenditur deus. si accidente autem culpa [7]) reprehensione digna super quemquam [8]) horum, de quibus sermo est ceciderit, quod absit; corripe eum ter quater inter te [9]) ipsum solum, iuxta preceptum evangelii. si tunc secreta renuit [10]) audire monita, adhibenda sunt sibi [11]) publica secundum hec: si te non audierit, dic ecclesie. nam si tu ordinem servabis, tuam gloriosam [12]) penitus exaltabis coronam.

C. IV. *De honore principum et militum.* Quartus decor regnis [13]) est fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, providencia [14]) principum [15]) comitum, militum. illi enim sunt regni repugnaculum [16]) defensores imbecillium, expugnatores adversariorum, augmentatores marchiarum. [17]) illi enim fili mi sunt [18]) patres et fratres, ex his vero neminem in servitutem redigas, vel servum nomines. illi tibi militent, non serviant, eorum omnibus sine ira et superbia atque invidia, pacifice, humiliter mansvete dominare, me-

---

[1]) dispositores. [2]) illis. [3]) principantur. [4]) illis deus. S. [5]) atque. [6]) criminibus. [7]) casu. [8]) aliquem. [9]) et. add. S. [10]) secrete renuerit. [11]) sibi sunt. [12]) gloriam tuam. [13]) regiminis. [14]) confidentia. [15]) baronum. add. S. [16]) propugnaculum. [17]) monarchiarum. [18]) tibi fili mi sint.

moria semper retinens,[1]) quod omnes homines unius sint[2]) condicionis, et quod nihil elevat, nisi humilitas, et quod[3]) nihil deiicit, nisi superbia et invidia. si eris[4]) — — tunc diceris rex, et regis filius atque amaberis a cunctis militibus. si iracundus, superbus, invidus inpacificus super comites et principes cervicem erexeris, sine dubio fortitudo militum, hebetudo erit regalium dignitatum, et alienis tradetur[5]) regnum tuum. hoc timens cum regula virtutum dirige vitam comitum, ut tua dilectione angulati, semper regni dignitati adhereant inoffensi, ut tuum regnum sit semper[6]) pacificum.

C. V. *De observacione iudicii et paciencie.* Paciencie et iudicii observacio quinta regalis corone[7]) ornacio. David rex atque propheta dicit: deus iudicium tuum regi da. et[8]) alibi: honor regis iudicium tuum[9]) diligit. de paciencia Paulus apostolus ait:[10]) pacientes estote ad omnes. et dominus in evangelio: in paciencia vestra possidebitis animas vestras. hoc attende[11]) fili: si vis habere honorem regni,[12]) dilige iudicium si animam tuam possidere vis, esto paciens. quociescumque fili carissime causa iudicari digna[13]) ad te venerit, vel aliquis capitalis sentencie reus; noli impacienter portare, vel cum iuramento firmare illum punire, quod instabile et fragile debet esse, quia stulta vota frangenda sunt; vel per te ipsum diiudicare, ne tua regalis dignitas, inferioris negocii usurpacione fedatur,[14]) sed pocius huiusmodi negocium ad iudices mitte, quibus hoc commissum est, quo illi[15]) secundum suam hoc decernant[16]) legem. time esse iudex, gaude vere rex esse et nominari. reges vero pacientes regnant, impacientes autem[17]) tyrannisant. quando quidem aliquid, quod tue

---

[1]) retin. semp. [2]) sunt. [3]) quod. om. S. [4]) pacificus. [5]) tradent. [6]) per omnia sit pacif. [7]) est. add S. [8]) idem. add. S. [9]) tuum. om. S. [10]) loquitur. [11]) ad hoc tende fili mi. [12]) regni habere hon. [13]) digna iud. [14]) usurp. inferiorum negotiorum fedetur. [15]) ipsi. [16]) discernant. [17]) vero.

convenit dignitati, tibi venerit, cum paciencia et misericordia sive miserando[1]) hoc iudica, ut tua corona laudabilis sit et decora.

C. VI. *De tencione*[2]) *et nutrimento hospitum.* In hospitibus[3]) et venticiis[4]) viris tanta inest utilitas, ut digne sexto in loco regalis dignitatis[5]) possit haberi. inde enim in primis[6]) romanum crevit imperium et[7]) reges sublimati fuerunt et gloriosi,[8]) quod multi nobiles et sapientes ex diversis illo[9]) confluebant partibus. Roma vero usque hodie esset ancilla, nisi Eneades fecissent illam[10]) liberam. sicut enim ex diversis partibus et provinciis[11]) veniunt hospites, ita diversas linguas et consvetudines, diversaque documenta et arma secum ducunt, que omnia regiam ornant et magnificant aulam, et perterritant exterorum arroganciam. nam unius lingue uniusque moris regnum imbecille et fragile est. propterea fili mi iubeo tibi,[12]) ut bona voluntate illos nutrias, et honeste teneas, ut tecum libencius degant, quam alicubi habitent. si enim tu destruere quod ego[13]) congregavi, studueris, sine dubio maxime tuum patietur[14]) regnum. quod ne fiat, tuum quotidie auge regnum, ut tua corona ab omnibus habeatur[15]) —

C. VII. *De magnitudine consilii.* In tribunalibus regum, consilium sibi septimum vendicat locum. consilio[16]) constituuntur reges, determinantur[17]) regna, defenditur patria, componuntur prelia, sumitur victoria, propelluntur inimici, appellantur amici, civitates construuntur, et castra adversariorum destruuntur. quando vero consiliis inest utilitas? nam[18]) a stultis et arrogantibus ac mediocribus, ut mihi videtur, non valent componi viris, sed a maioribus

---

[1]) miserantia. [2]) detentione. [3]) hospitalibus. [4]) adventitiis. [5]) in regal. dign. loco. [6]) unde inprimis. [7]) romanique. [8]) nisi. add. S. [9]) illac. [10]) ipsam fecisset liberam. [11]) partibus provinciarum. [12]) iubeo te fili. [13]) ego. om. S. [14]) maximum detrimentum tuum patietur regnum. [15]) augusta add. S. [16]) enim add. S. quidem. K. [17]) gubernantur. [18]) iam.

et melioribus sapientioribusque ac honestissimis senioribus exprimi debent ac poliri. idcirco fili mi cum iuvenibus et minus sapientibus noli consiliari, aut ab[1]) illis consilium querere, sed a senatoribus,[2]) quibus illud negocium propter etatem et sapientiam sit aptum. nam consilia regum, in precordiis sapientum debent claudi, non ventositate stultorum propagari. si enim gradieris cum sapientibus, sapiens efficieris; si versaberis[3]) cum stultis, sociaberis illis, fatente spiritu sancto per Salamonem;[4]) et David canit:[5]) cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. ac preter hoc[6]) quidquid unicuique negocii[7]) conveniat etati, in hoc se exerceant; scilicet iuvenes in armis, senatores in consiliis. omnino tamen iuvenes non sunt depellendi a consiliis; quoties vero cum illis consilium inibis, etiam si sit habile, tamen semper ad maiores deferas[8]) ut omnes actus tuos norma sapiencie mensures.

C. VIII. *De execucione filiorum.*[9]) Execucio maiorum in regali dignitate octavum possidet locum. regale ornamentum scis[10]) esse maximum antecessores sequi reges.[11]) et honestos imitari parentes. qui enim antecessorum decreta spernit patrum, nec divinas procurat leges.[12]) id enim circo sunt patres[13]) ut nutriant filios, ideoque sunt filii, ut obediant parentibus.[14]) qui patri suo resistit inimicus dei consistit. omnes enim inobedientes sunt deo[15]) resistentes. Spiritus quidem[16]) inobediencie dispergit flores corone. inobediencia enim est tocius regni pestilencia. propterea fili carissime, edicta patris tui, scilicet mei[17]) semper tibi sint promptuosa, ut prosperitas tua ubique

---

[1]) ex. [2]) senioribus. [3]) versaris. [4]) „qui cum sapientibus graditur, sapientum erit amicus, nec stultorum erit similis.“ add. S. [5]) psallit. [6]) ad hoc qu- [7]) negotii unicuique- [8]) differas. [9]) De excusatione filiorum Israhel. K. de executione per filios. S. [10]) scito. [11]) sequi antecess. reges. [12]) peribit. add. S. [13]) patres enim idcirco sunt patres. add. S.[14]) patribus.[15]) deo sunt.[16]) enim. [17]) scil. mei. om. S.

regalibus dirigatur habenis. mores quidem meos quos regali vides convenire dignitati sine vinculo tocius ambiguitatis sequere. grave enim tibi est huius climatis tenere regnum, nisi imitator consvetudinis ante regnancium exstiteris regum. quis grecus regeret latinos grecis moribus, aut quis latinus regeret grecos[1]) latinis moribus.[2]) idcirco consvetudines sequere meas, ut inter tuos habearis precipuus, et ante[3]) alienos laudabilis.

C. IX. *De observacione oracionis.* Observacio oracionis maxima acquisicio est regalis salutis, et ideo nonum in nonaria[4]) regie dignitatis canit regula. continua oracio est peccatorum ablucio vel[5]) remissio. tu autem fili mi, quociescunque ad templum dei curris, ut deum adores cum Salamone[6]) — regis, et ipse rex semper dicas: emitte domine sapienciam de sede magnitudinis tue, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. et iterum: domine pater et deus vite mee, ne derelinquas me in cogitatu tuo[7]) maligno. extollenciam oculorum meorum non[8]) dederis mihi, et desiderium malignum[9]) averte a me. domine aufer a me concupiscenciam, et animo irreverenti et in fremitu[10]) ne tradas me domine. hanc quidem oracionem antiqui utebantur orare,[11]) tu quoque[12]) eadem utere, ut deus cuncta vitia a te auferre dignetur, ut invictissimus rex a cunctis nomineris. ora eciam, ut desidiam et hebetudinem a te depellat, et supplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus visibiles et invisibiles vincas inimicos. ut securus et expeditus ab omni incursione adversariorum cum omnibus tibi subditis[13]) cursum etatis tue vite cum pace possis finire.

---

[1]) grecos latinis reger. [2]) nullus. add. S. [3]) inter. [4]) torvum et novaria. [5]) et. [6]) filio. add. S. domino. K. [7]) tuo. om. S. [8]) ne. [9]) meum. add. S. [10]) infrenato. [11]) hac itaque oratione antiqui utebantur reges. [12]) hac. add. S. [13]) subiectis.

C. X. *De pietate et misericordia, ceterisque virtutibus.* Modus virtutum finit[1]) coronam regum, et in preceptis ponitur decimus. nam dominus virtutum ipse est rex regum, sicut sui[2]) exercitus celestis plenitudo in denis consistit choris,[3]) sic tue vite conversacio in decem persistat mandatis. oportet regem esse pium, misericordem, et ceteris virtutibus imbutum et ornatum. rex enim impietate et crudelitate fedatus, incassum sibi nomen vindicat regis[4]) quia tyrannus est dicendus. ob hoc ergo[5]) fili[6]) amabilissime dulcedo cordis mei, spes future sobolis, precor iubeo, ut per omnia et in omnibus pietate suffultus[7]) non solum parentele et cognacioni, vel principibus sive ducibus sive vicinis et incolis sis propicius, verum eciam extraneis, et cunctis ad te venientibus. nam opus pietatis ad summam ducit te[8]) beatitudinem. sis misericors omnibus vim pacientibus, semper illud divinum[9]) in tuis precordiis habens exemplum: misericordiam volo et non sacrificium. paciens esto ad omnes, non tantum in[10]) potentes, sed eciam potencia[11]) carentes. sis denique fortis. ne te prosperitas nimis elevet, aut adversitas te[12]) deiiciat. sis quoque humilis, ut deus te altum faciat hic et in futuro. sis vero modestus ut[13]) ultra modum neminem punias, vel dampnes. sis mitis,[14]) ut nunquam iusticie resistas.[15]) sis honestus, ut nunquam alicui spontaneum inferas dedecus.[16]) sis pudicus, ut[17]) cunctos libidinis fetores, sicut stimulum mortis evites. hec omnia superius libata regalem componunt coronam, sine quibus nullus valet[18]) hic regnare, nec ad eternum pertingere regnum. Explicit liber primus.

---

[1]) ornat. [2]) suus. [3]) horis. [4]) vendicat nomen regis. [5]) ego. [6]) mi. add. S. [7]) fultus. [8]) te ducit. [9]) domini. [10]) in. om. S. [11]) potestate. [12]) te. om. S. [13]) et. [14]) sis mitis. om. S. et K. [15]) repugnes. [16]) ut — dedecus om. K. [17]) et. [18]) valet nullus.

VII.

Leges S. Stephani regis.

S. Stephani decretum regale. Prefatio regalis Decreti. Regnante diuina clementia opus regalis dignitatis almonia[1]) katholice fidei effectum, amplius ac solidius alterius dignitatis operibus solet esse. Et quoniam unaqueque gens propriis utitur[2]) legibus, idcirco nos quoque dei nutu nostram gubernantes[3]) monarchiam, antiquos et modernos imitantes augustos, decretali meditatione nostre statuimus genti,[4]) quemadmodum honestam et inoffensam ducerent uitam, ut sicut diuinis legibus sunt ditati, similiter etiam secularibus[5]) addicti. ut quantum boni in his diuinis ampliantur, tantum rei in istis[6]) multentur.[7]) que autem decreuimus, in sequentibus subnotauimus lineis.[8])

Capitula huius libri. I. De statu rerum ecclesiasticarum.[9]) II. De potestate episcoporum super res ecclesiasticas, eorumque[10]) conuenientia cum laicis. III. Quales debeant esse accusatores et testes clericorum. IV. Item de eodem.[11]) V. De labore sacerdotum. VI. De concessione regali propriarum rerum. VII. De retentu[12]) regalium rervm. VIII. De obseruatione dominici diei.[13]) VIIII. Item alia[14]) X De obseruatione IIII temporum. XI. De obseruatione sextę ferię. XII. De his qui sine confessione moriuntur. XIII. De obseruanda christianitate. XIIII. De homicidiis.[15]) XV. De his qui suas uxores occidunt.[16]) XVI. De euaginatione gladii. XVII. De periuris.[17]) XVIII. De liber-

---

[1]) alimonia K. T. S. [2]) regitur. K. T. [3]) gubernando S. [4]) med. nostra statuimus genti nostrae. K. [5]) sint. add. K. T. [6]) his. K. [7]) vilitentur. S. [8]) lineis. om. S. [9]) De statu ecclesiastico, et veneratione domus Dei. S. De statu ecclesiastico. K. T. [10]) et de eorum. K. de eorundem. T. [11]) omittunt. K. T. S. [12]) retento. T. [13]) dominice. K. T. [14]) De eodem die dominicali ut concurrant ad ecclesiam S. omitt. K. T. [15]) C. XVI. de homicidiis voluntariis. S. [16]) suas occidunt uxores. T. S. qui occ. uxores eorum. K. [17]) periuriis. S.

tis.[1]) XVIIII. De conuentu ad ecclesiam, et de his qui murmurant vel locuntur in ecclesia hora missę.[2]) XX. De non recipiendis seruis vel ancillis in accusatione[3]) et testimonio super dominos suos vel dominas. XXI. De his, qui alienis seruis libertatem querunt. XXII. De his qui liberos in seruitutem redigunt. XXIII. De his qui alterius milites sibi tollunt. XXIIII. De his qui alterius sibi hospites tollunt.[4]) XXV. De[5]) qui flagellantur sua quaerentes. XXVI. De viduis et orphanis.[6]) XXVII. De raptu puellarum. XXVIII. De fornicationibus[7]) cum ancillis alterius. XXVIIII. De his qui petunt sibi ancillas[8]) in uxores. XXX. De his qui extra regnum suas fugiunt uxores. XXXI. De furto mulierum. XXXII. De incendiis mansionum. XXXIII. De strigis. XXXIIII. De maleficis. XXXV. De inuasione domorum[9])

I. *De statu rerum ecclesiasticarum.*[10]) Quisquis fastu superbie elatus domum dei ducit[11]) contemptibilem, et possessiones deo consecratas, atque ad honorem dei, sub regia immunitatis[12]) defensione constitutas[13]) inhoneste tractauerit, vel infringere presumpserit, quasi inuasor et violator domus dei excommunicetur. Decet enim ut indignationem ipsius domini regis sentiat, cuius beniuolentię contemptor, et constitutionis preuaricator extitit.[14]) Nichilominus tamen rex suę concessionis[15]) immunitatem omnibus dicionis sue[16]) illesam conseruari precipiat. Assensum vero non prebeat inprouide affirmantibus, non debere esse res dominicas, id est domino dominantium traditas.[17])

---

[1]) De liberis. K. De libertate servorum. S. [2]) mala locuntur. T. murmurant hora missae vel loquuntur. S. [3]) vel testimonio. K.T. [4]) XXIIII om. K et T. [5]) his e superiore cap. huc trahitur. [6]) XXVI. om K. [7]) fornicantibus. T. [8]) alienas. K. T. S. [9]) desinunt capitula in T. — K continuat cap. lib. II. [10]) De statu ecclesiastico et veneratione domus dei. S. [11]) dicit. K. [12]) om. K. [13]) om. K. [14]) existit. K. [15]) confessionis. K. [16]) ditioni (dictioni T.) subiectis. K. T. [17]) id est — traditas. om. K.

Ita sunt[1]) sub defensione regis[2]) sicuti proprię suę hereditatis.[3]) Magisque[4]) aduertat, quia quanto deus[5]) excellentior est homine, tanto prestantior est diuina causa mortalium possessione.[6]) Quarum diuinarum[7]) rerum defensor et custos diuinitate[8]) statutus, diligenti cura non solum eas seruare, sed etiam multiplicare debet, magisque illa[9]) prestantiora que diximus, quam sua defendere oportet et augmentare. Si quis igitur[10]) insanus inoportunitate[11]) improbitatis suę[12]) regem a recto proposito peruertere temptauerit, nullisque remediis mitigari posse uisus fuerit,[13]) obsequiis aliquibus transitoriis sit necessarius, abscindendus ab eo proiciendusque est, iuxta illud euangelicum: si pes manus vel[14]) oculus tuus scandalizat te amputa vel[15]) erue eum, et proice abs te.

II. *De potestate episcoporum super res ecclesiasticas, eorumque convenientia cum laicis.*[16]) Volumus[17]) ut episcopi habeant potestatem, res ecclesiasticas providere regere et gubernare, atque dispensare[18]) secundum canonicam[19]) auctoritatem. volumus ut et[20]) laici in eorum ministerio obediant episcopis ad regendas ecclesias, viduas et orphanos defensandos, et ut obedientes sint[21]) ad eorum christianitatem seruandam. consentientesque sint comites et iudices presulibus suis ad iustitias faciendas, iuxta precepta legis diuinę.[22]) Et nullatenus per aliquorum mendacium[23]) vel falsum testimonium, neque[24]) periurium aut[25]) per premium lex iusta in aliquo deprauetur.

---

[1]) sunt om K. T. S. [2]) reg. om K. [3]) hereditati K. itaque sub def. reg. sicuti suae propr. hereditatis. S. [4]) om. K. [5]) dominus. T. [6]) quocirca decipitur, quisquis plus in propriis, quam in dominicis rebus gloriatur. add. K. T. S. [7]) dominicarum. K. [8]) divinitatis. K. T. S. [9]) quae diximus. add. K. T. [10]) ergo. T. [11]) inportunitate. K. [12]) improbitateque sua. K.T. S.[13]) licet. add. K.T.[14]) aut.T. S.[15]) amputa vel. om. K. T. [16]) eor. — laicis. om. T. [17]) vol. om. K. T. S. [18]) disponere. K. [19]) canonum. K. T. S. [20]) et. om. K. S.[21]) eis. add. K. S. [22]) divinae legis. K. [23]) mendacia. S. [24]) per. add. K. S. [25]) neque. K.

III. *Quales debeant esse testes et accusatores clericorum.*[1]) Testes autem et accusatores clericorum[2]) sine aliqua sint infamia, uxores et filios habentes, et omnino Christum predicantes.

IV. *Item de eodem.*[3]) Testimonium laici aduersus clericum[4]) nemo recipiat. Nemo enim[5]) clericum quemlibet in publico examinare presumat, nisi in ęcclesia.

V. *De labore sacerdotum.* Scitote fratres cuncti, quod super omnes vos[6]) laborat sacerdos. unusquisque enim vestrum suum[7]) fert laborem proprium, ille vero et suum et singulorum.[8]) Et ideo sicut ille pro omnibus vobis, ita et vos omnes pro eo suorum operum[9]) laborare debetis, in tantum, ut si necessitas fuerit animas vestras pro eo ponatis.

VI. *De concessione regali propriarum rerum.* Decreuimus nostra regali[10]) potentia, ut unusquisque habeat facultatem sua diuidendi, tribuendi uxori filiis filiabusque atque parentibus siue ęcclesię, nec post eius[11]) obitum quis hoc destruere audeat.

VII. *De retentu regalium rerum.* Volumus quidem[12]) ut sicuti ceteris facultatem dedimus dominandi suarum rerum,[13]) ita etiam res, milites seruos, et quidquid ad nostram regalem dignitatem pertinet, permanere immobile,[14]) et a nemine quid inde rapiatur, aut subtrahatur. Nec quisquam in his predictis sibi fauorem acquirere audeat.[15])

VIII. *De obseruatione dominici*[16]) *dici.* Si quis igitur presbyter vel comes siue aliqua persona fidelis, die domi-

---

[1]) accusat. et test. K. T. [2]) clericor. om. K. T. [3]) IV. tit. om. K. T. fitque e duabus una. [4]) clerum. T. clericos. K. [5]) etiam. K. S. queml. clericum. T. S. [6]) nos. K. [7]) suum om. K. propr. lab. f. K. [8]) singulos. K. [9]) summo opere. T. summopere. K. S. [10]) regali nost. pot. T. S. [11]) eius. om. T. [12]) quidem om. K. autem. T. [13]) rer. suar. K. [14]) immobiles. K. [15]) audeat acqu. T. [16]) dominice. K. T. S.

nica in uenerit quemlibet laborantem,[1]) siue[2]) cum bubus, tollatur sibi bos, et ciuibus ad manducandum detur. si autem cum equis, tollatur equus, quem dominus boue redimat si uelit. et idem bos manducetur ut dictum est. Si quis aliis instrumentis, tollantur instrumenta et uestimenta, que si uelit[3]) cute redimat.

VIIII. *Item aliud.*[4]) A sacerdotibus vero et comitibus commendetur omnibus uillicis, ita ut illorum[5]) iussu omnes concurrant die dominica ad ecclesiam, maiores ac minores, uiri ac mulieres, exceptis[6]) qui ignes custodiunt.[7]) Si quis uero non obseruationis[8]) remanebit per illorum negligentiam, vapulent ac depilentur.

X. *De obseruatione IIII-or temporum.* Si quis quatuor temporum ieiunia cunctis cognita, carnem manducans violauerit, per spacium unius ebdomadę inclusus ieiunet.

XI. *De obseruatione VI-te ferie.* Si quis in sexta feria ab omni christianitate obseruata carnem manducaverit, per unam ebdomadam luce inclusus ieiunet.

XII. *De his qui sine confessione moriuntur.* Si quis tam perdurato corde est,[9]) quod absit ab omni christiano, ut nolit confiteri sua facinora, secundum suasum presbiteri, hic sine omni diuino officio et elemosinis iaceat, quemadmodum infidelis. Si autem parentes et proximi neglexerint vocare presbiteros et ita subiacet[10]) absque confessione morti; ditetur orationibus, et consoletur elemosinis. sed parentes lauent[11]) negligentiam ieiuniis, secundum arbitrium presbiterorum. Qui vero subitanea periclitantur morte, cum omni ecclesiastico sepeliantur honore, nam diuina iudicia occulta nobis sunt et incognita.[12])

---

[1]) abigatur. add. S. [2]) si vero. T. S. [3]) cum add. K. T. S. [4]) omittunt, et adjungunt priori K. T. S. [5]) ipsorum S. [6]) illis add. K. S. [7]) custodiant T. S. [8]) obstinatus reman. S.[9]) Si quis tam obstinatus est. S.[10]) subiaceat. K. T. S.[11]) luant. K. S. lugeant. T. [12]) occulta et div. iud. nobis sunt incognita K. T. S.

XIII. *De obseruanda christianitate.* Si quis obseruatione christianitatis neglecta, et negligentie stoli(di)tate elatus quod[1]) in eam[2]) commiserit, iuxta qualitatem offensionis ab episcopo, per disciplinas canonum iudicetur. Si vero rebellitate instructus[3]) rennuerit sibi impositum ęque sufferre, iterum eodem iudicio restringatur, et etiam usque septies. tandem super[4]) omnia si resistens et abuens inuenitur[5]) regali iudicio, scilicet defensori christianitatis tradatur.

XIIII. *De homicidis.*[6]) Si quis ira accensus[7]) aut[8]) superbia elatus spontanevm commiserit homicidium, sciat se secundum nostri senatus decretum centum et X daturum pensas auri, ex quibus quinquaginta ad fiscum regis deferantur, alii[9]) vero L parentibus dentur, X autem arbitris et mediatoribus condonentur. ipse quidem homicida secundum institutionem canonum ieiunet.

Item aliud.[10]) Si quis autem casu occiderit quemlibet[11]) XII auri pensas persoluat, et sicut canones mandant ieiunet.

Item de homicidiis servorum.[12]) Si alicuius seruus seruum alterius occiderit, reddatur seruus pro seruo, aut redimatur, et penitentiam quod dictum est agat.

Item aliud.[13]) Si vero liber alicuius occiderit seruum, reddat alium seruum, vel precium[14]) componat, et secundum canones ieiunet.

XV. *De his qui suas uxores occidunt.* Si quis comitum[15]) obduratus corde, neglectusque anima,[16]) quod procul sit a cordibus fidelitatem obseruantium,[17]) uxoris homicidio polluetur, secundum decretum regalis senatus, cum

---

[1]) quid. K. T. S. [2]) ea. K. [3]) instinctus. [4]) si per. K. [5]) in venietur. K. S. [6]) homicidiis. S. [7]) accen. ira. S. [8]) ac. K. T. S. [9]) alie. K. T. [10]) de homicidio casuali. S. [11]) aliquem. S. [12]) haec in ceteris desiderantur. [13]) deest titulus, lex ipsa conjungitur cum priori de hom. casuali. S. [14]) pretio. S. [15]) concivium. K. [16]) negligens animam. S. [17]) observantibus. S.

quinquaginta iuuencis parentibus mulieris concilietur,[1]) et ieiunet secundum mandata canonum.[2]) si autem miles vel[3]) alicuius vir ubertatis eandem culpam inciderit, iuxta eundem senatum soluat parentibus X iuuencos, ieiunetque ut dictum est. si wlgaris in eodem crimine inuenietur, cum quinque iuuencis cognatis reconcilietur,[4]) et subdatur predictis ieiuniis.

XVI. *De Evaginatione gladii.*[5]) Vt pax firma et incontaminata per omnia maneat, tam inter maiores natu, quam inter minores, cuiuscunque conditionis sint, interdiximus omnino, ut nullus ad ledendum aliquem euaginet gladium. quod si quis posthac stimulis suę audacię tactus temptauerit, eodem iuguletur gladio.

XVII. *De periuris.*[6]) Si quis ualentium fide commaculatus, corde pollutus, iuramento confracto[7]) periurio addictus inuenietur, perditus[8]) manu periurium luat. aut cum[9]) quinquaginta iuuencis manum redimat. Si vero wlgaris periurus extiterit, manu amputata[10]) punietur, aut XII iuuencis redimetur, et ieiunet ut canones mandant.

XVIII. *De libertis.*[11]) Si quis misericordia ductus proprios seruos et ancillas libertate feriauerit[12]) cum testimonio, decreuimus, ut post obitum eius nemo inuidia tactus in seruitutem eos audeat reducere. Si autem libertatem promiserit, et morte inpediente non testificatus fuerit, habeat mulier illius uidua et filii potestatem hanc eandem libertatem testificari, et agapen facere pro redemptione animę sui mariti qnalitercunque velit.

XVIIII. *De conuentu ad ecclesiam, et de his qui murmurant vel locuntur hora missę.*[13]) Si qui ad ecclesiam ve-

---

[1]) parentibus reconcilietur. S. [2]) secun. mand. canon. ieiunet. T. S. [3]) vel. om. K. T. S. [4]) concilietur. K. T. S. [5]) deest in ceteris. titulum tamen exhibet in pref. K. [6]) periuriis. S. [7]) confractus. K. T. S. [8]) perdita. S. [9]) cum. om. K. T. S. [10]) amputatus. K. T. S. [11]) de liberis. K. de libertate servorum. S. [12]) donaverit. S. [13]) missarum. K.

nientes ad audiendum officium et ibidem hora solempnitatis missarum inter se murmurant, et ceteros inquietant, exponentes fabulas ociosas, et non intendentes diuinas lectiones, cum ecclesiastico nutrimento,[1]) si maiores sunt, increpati cum dedecore expellantur de ecclesia, si uero minores et wlgares, in atrio ecclesię pro tanta temeritate coram omnibus ligentur, et corripiantur flagellis, ac[2]) cesura capillorum.

XX. *De non recipiendis seruis uel ancillis in accusationem vel testimonium*[3]) *super dominos*[4]) *vel dominas.* Vt gens huius monarchię ab omni incursu et accusatione seruorum et ancillarum remota et quieta maneat, secundum decretum regalis concilii[5]) penitus interdictum est, ut nullius causa culpę[6]) aliqua seruilis persona[7]) contra dominos vel dominas in accusationem vel testimonium recipiant.[8])

XXI. *De his qui alienis seruis libertatem acquirunt.*[9]) Si quis improuidus alienum seruum sine conscientia senioris ante regem, uel maiores natu et dignitate duxerit, ut soluto seruitutis iugo leuitatem libertatis sibi acquirat, sciat se si diues est quinquaginta iuuencos redditurum, ex quibus quadraginta debentur regi, X uero seniori serui. si vero pauper et tenuis XII iuuencos, ex quibus X regi, duo seniori serui.

XXII. *De his qui liberos in seruitutem redigunt.* Quoniam igitur dignum deo est et hominibus optimum, unumquemque suę industria libertatis uitę cursum ducere, secundum regale decretum statutum est, vt nemo comitum vel militum posthac[10]) liberam personam seruituti subdere audeat. quod si elationis audacię[11]) suę stimulatus presum-

---

[1]) incremento. K. [2]) ac capill. desunt in K. T. S. [3]) in accusatione vel testimonio. T. S. [4]) suos addit. T. [5]) regalis decr. conc. K. T. [6]) in nullius causae culpa. K. T. [7]) aliquam servilem personam. S. [8]) et test. recipiat. S. [9]) lex XXI in ceteris desideratur. [10]) aliquam. add. K. T. S. [11]) audacia. K. S.

pserit, sciat se totidem ex proprio compositurum. què uero[1]) compositio inter regem et comites dividatur ut cetera.

Item de eodem[2]) Sed si quis actenus in seruitute retentus, pro libertate sui[3]) tuenda iudicium legale[4]) faciens securus extiterit, tantummodo libertate fruatur, et ille a quo in seruitute tenebatur, nichil reddat.

XXIII. *De his qui alienos milites sibi tollunt.* Volumus ut unusquisque senior suum habeat militem, nec aliquis alter illum suadeat antiquum deserere seniorem, et ad se venire, inde enim litigium habet inicium.

XXIIII. *De his, qui hospites alterius sibi tollunt.*[5]) Si quis hospitem cum beneuolentia accipit, et nutrimentum sibi honeste inpendit, quamdiu secundum propositum nutritur, non deserat suum nutritorem, nec ad aliquem alium suam deferat hospitalitatem.

XXV. *De qui flagellantur sua querentes.*[6]) Si cuius miles aut seruus ad alium fugerit, et his cuius miles vel servus fuga lapsus est suum miserit legatum ad reducendos[7]) eos, et is[8]) legatus ibidem a quoquam percussus et flagellatus extiterit, decernimus nostrorum primatum conuentu, ut ille percussor X soluat iuuencos.

XXVI. *De viduis et orphanis.* Volumus quidem ut et uiduę et orphani sint nostrę legis participes, tali tenore, ut si qua[9]) uidua cum filiis filiabusque[10]) remanserit, atque nutrire eos et manere cum illis, quamdiu vixerit promiserit, habeat potestatem a nobis sibi concessam hoc faciendi, et a nemine iterum cogatur in coniugium., si uero[11]) mutato voto iterato[12]) nubere voluerit, et orpha-

[1]) vero. om. K. [2]) iungitur priori omisso titulo in ceteris. [3]) sua. K. S. [4]) regale. S. [5]) deest tota in K. desideratur titulus in T. De recipiendis hospitibus. S. [6]) de his qui flagellant sua querentes. T. S. [7]) ad reducendum. K. T. S. [8]) his. K. T. [9]) quae. S. [10]) et filiabus. K. T. S. [11]) enim. S. [12]) iterum. K. S.

nos deserere, de rebus orphanorum nichil omnino sibi uendicet, nisi tantum sibi congrua uestimenta.

Item de viduis.[1]) Si autem uidua sine prole remanserit, et se innuptam in sua viduitate permanere promiserit, uolumus ut potestatem habeat omnium bonorum suorum, et quidquid uelit inde facere faciat. post obitum autem eius eadem bona ad suos redeant parentes mariti, si parentes habet, sin autem[2]) rex sit heres.

XXVII. *De Raptu puellarum.* Si quis militum impudicicia fedatus puellam aliquam sine concessione parentum, sibi in uxorem rapuerit, decreuimus[3]) puellam parentibus reddi, etiamsi ab illo aliqua vis sibi illata sit, et raptor X soluat iuuencos pro raptu, licet postea reconcilietur parentibus puelle. Si uero pauper quis hoc wlgaris agere agreditur, componat raptum V. iuuencis.[4])

XXVIII. *De fornicatoribus cum ancillis alterius.* Vt liberi suam custodiant libertatem incontaminatam, uolumus illis ponere cautionem.[5]) Quisquis transgrediens fornicatur cum ancilla alterius, sciat se reum[6]) criminis, et pro eodem crimine in primis decoriari. Si vero secundo cum eadem fornicatus fuerit iterum decorietur ac depiletur. si autem tercio, sit seruus pariter cum ancilla, aut redimet[7]) se. Si autem ancilla conceperit de eo et parere non potuerit,[8]) sed in partu moritur,[9]) componat eandem cum alia ancilla.

De seruorum fornicatione.[10]) Servus quoque alterius[11]) si cum ancilla alterius fornicatur, decorietur ac depiletur. et si ancilla de eo conceperit, et in partu moritur,[12])

---

[1]) continuatur sine titulo in T. S. [2]) si autem non. K. sin autem non S. [3]) decernimus. S. [4]) bobus. K. T. S. [5]) ne cum aliis fornicentur ancillis, add. T. si quis autem improvidus hanc cautionem transgrediens. K. T. S [6]) esse add. T. S. [7]) redimat. K. T. S. [8]) poterit. S. [9]) moriatur. K. T. S. [10]) continuatur sine titulo in K. T. S. [11]) alicuius. K. S. [12]) moriatur. K. S.

seruus venumdetur, ac dimidia pars precii seniori ancille detur, altera pars uero seniori serui remaneat.

XXVIIII. *De his qui petunt sibi ancillas*[1]) *in uxores.* Vt nemo eorum, qui libero censentur nomine,[2]) cuiquam quid iniurie[3]) facere audeat, terrorem et cautionem imposuimus, quia in hoc regali concilio decretum est, ut si quis liber connubium ancillę alterius, sciente domino ancillę elegerit, perdita libertatis sue industria perpetuus efficiatur seruus.

XXX. *De his qui extra regnum suas fugiunt uxores.*[4]) Vt genus utriusque sexus certa lege et absque iniuriis maneat et vigeat, in hoc regale decretum[5]) statutum est, ut si quis proteruitate preditus propter abominationem uxoris patriam effugerit, uxor cuncta que in potestate mariti habebantur possideat, dum velit expectare uirum, et nemo in aliud coniugium cogere presumat. et si sponte nubere velit, liceat sumptis congruis sibi vestimentis, et dimissis ceteris bonis ad connubium ire, et si uir hoc audito redierit, ne liceat sibi aliam ducere preter suam, nisi cum licentia episcopi.

XXXI. *De furto mulierum.*[6]) Cum igitur cunctis horrendum et omnibus abominabile sit, uirilem sexum repertum furtum fecisse, et magis magisque sexum femineum; secundum regalem senatum decretum est, ut si aliqua mulier maritata furtum commiserit, a marito redimetur,[7]) et si secundo eandem[8]) culpam inciderit, similiter redimetur. si vero tercio venumdetur.

XXXII. *De incendiis mansionum.* Si quis per inimicicias alterius edificia igne cremauerit, decreuimus, ut et[9]) edificia restituat, et quidquid supellectilis arsum fuerit, et insuper XVI iuuencos, qui valent XL[10]) solidos.

---

[1]) alienas. add. K. S. [2]) nomine cens. [3]) cuiquam iniuriam facere. K. S. [4]) qui extra regnum suum fug. K. [5]) regali decreto. K. T. S. [6]) maritatarum. add. S. [7]) redimatur. S. [8]) in eam. K. [9]) om. K. S. [10]) LX. T. S.

XXXIII. *De strigis.* Si qua striga inuenta fuerit, secundum iudicialem legem ducatur[1]) ad ecclesiam, et commendetur sacerdoti ad ieiunandum, fidemque docendam.[2]) post ieiunium uero domum redeat. si secundo in eodem crimine inuenietur, simili[3]) ieiunio subiciatur.[4]) post ieiunium uero in modum crucis in pectore et in fronte, atque inter scapulas incensa claue[5]) ecclesiastica domum redeat. Si vero tercio, iudicibus tradatur.

XXXIIII. *De maleficis.*[6]) Vt creatura dei ab omni lesione malignorum[7]) remota, et a nullo detrimentum sui passura maneat, nisi a deo, a quo et[8]) augmentatur, secundum decretum senatus statuimus[9]) magni cautionem terroris[10]) ueneficis ac maleficis, ut nulla persona maleficio quemquam hominum subuertere a statu mentis aut interficere audeat. Ast si quis vel que posthac hoc[11]) presumpserit, tradatur in manus maleficio lesi, aut in manus parentum eius, secundum uelle eorum[12]) diiudicandum.[13]) si uero sortilegio utentes inuenientur, ut faciunt in cinere, aut[14]) his similibus, ab episcopis flagellis emendentur.

XXXV. *De Inuasione domorum.*[15]) Volumus ut firma pax et unanimitas sit inter maiores et minores secundum apostolum: omnes unanimes estote, et cetera. nec aliquis alium inuadere audeat. Nam si quis comitum post diffinitionem[16]) huius communis concilii tam contumax extiterit, ut alium domi querat ad perdendum eum, atque sua dissipare;[17]) si dominus domi est, et secum pugnauerit, vel interfecerit, luat secundum legem de euaginatione gladii confectam Si autem comes ibidem occubuerit, sine compositione iaceat. Si uero ille non superuenerit sed

---

[1]) ducant. S. [2]) docendum. K. T. S. [3]) similiter. K. [4]) subiaceat. K. T. S. [5]) clavi. K. T. S. [6]) de maleficiis, veneficiis et sortilegiis. S. [7]) omnium. S. malorum. T. [8]) et. om. K. [9]) ad. add. S. [10]) timoris. T. [11]) haec. K. S. [12]) eorum velle. K. T. S. [13]) diiudicandus. K. ad iudicandum. S. [14]) et. S. [15]) et de pugna ibidem secuta. add. S. [16]) definitionem. S. [17]) suas dissipare res. K. T. S.

suos milites miserit, centum iuuencis componat inuasionem.[1]) si uero miles quis curtim[2]) vel domum alterius militis inuaserit, X iuuencis componat invasionem.[3]) si uulgaris quidam alterius sui similis mansiunculas inuaserit, V iuuencis soluat incursionem.[4]) *Explicit liber primus.*[5])

I. *De regali dote ad ecclesiam.*[6]) Decem uillę ęcclesiam edificent, quam duobus mansis totidemque mancipiis dotent, equo et iumento, sex bubus et duabus uaccis, XXX[7]) minutis bestiis. uestimenta vero et coopertoria rex preuideat, presbiterum et libros episcopi.

II. *De successoribus regalium beneficiorum*[8]) Consensimus igitur peticioni tocius senatus, ut unusquisque propriorum simul et donorum regis dominetur dum uiuit, excepto quod ad episcopatum pertinet et comitatum, ac post eius uitam filii simili dominio succedant. Nec pro ullis[9]) causa reatus detrimentum bonorum suorum[10]) patiatur quis, nisi consiliatus mortem regis, aut traditionem regni fuerit, vel in aliam fugerit prouinciam. tunc uero bona illius in regiam ueniant potestatem.[11]) ast si quis in consilio regię mortis, aut traditionis regni legaliter inuentus fuerit,[12]) ipse uero capitali subiaceat sententię, bona uero illius, filiis innocentibus inremota sint, remanentibus saluis.

III. *De seruis et seruorum occisoribus.*[13]) Si alicuius seruus seruum alterius occiderit, senior homicidę medietatem serui componat seniori interfecti, si potest; sin

---

[1]) desunt in S. „si vero — invasionem.“ [2]) curtem. K. T. turrim. S. [3]) huc transfert T. „si vero ille — invasionem.“ [4]) invasionem. K. [5]) deest in K. T. S. et sequentia iunguntur prioribus. [6]) de aedificatione et dote ecclesiae a villis compositae. K. T. S. [7]) XXX quatuor. S. [8]) de dominio propriarum rerum et regalis doni. K. T. [9]) ullius K. T. [10]) sui K. T. S. [11]) ipse vero subiaceat sententiae, filiis innocentibus remanentibus salvis. add. K. T. S. [12]) ast si — fuerit. om. ceteri. [13]) de servo interfecto ab altero servo. K. T. S.

autem,[1]) peracta una quadragesima; uenundetur seruus, et precium diuidatur.

IV. *De liberatione eiusdem.*[2]) Seruum liberari[3]) homicidam, si seniori placuerit cum centum et X iuuencis aut[4]) redimat, aut tradat.

V. *De libertate seruorum.*[5]) Si quis alienis seruis libertatem acquirere nititur, quod serui erunt totidem mancipia soluat, ex quibus duę partes regi, tercia seniori seruorum. rex autem ex sua parte terciam tribuat comiti.

VI. *De furto seruorum.*[6]) Si quis seruorum semel furtum commiserit, reddat furtum, et componat nasum V iuuencis si potest; sin autem,[7]) abscindatur.[8]) Si absciso[9]) naso iterum commiserit furtum, componat aures V. iuuencis, si potest, sin autem[10]) abscindantur. Si idem[11]) tercio furtum commiserit, careat vita.

VII. *De furto liberorum.*[12]) Si quis liberorum furtum commiserit, hac lege[13]) componere decreuimus:[14]) si semel, redimat se si potest, sin autem,[15]) venundetur. Si autem idem venundatus furtum commiserit, legibus seruorum subiaceat.

Item de eodem. Si secundo, simili legi subiaceat. si uero tercio dispendio uitę diiudicetur.

VIII. *De compositione regis.*[16]) Si quis comitum partem regis defraudauerit, reddat fraudem, et duplo componat.

IX. *De iniusta appellatione.*[17]) Si quis militum iudicium a suo comite recte iudicatum spernens, regem ap-

---

[1]) non. add. S. [2]) de redemptione homicidae servi. K. T. S. [3]) liberi. K. T. S. [4]) aut. om. K. T. S. [5]) de vindicta nitentium acquirere libertatem alienis servis. K. T. S. [6]) semel commisso. add. K. T. S. [7]) non. add. S. [8]) sequitur titulus: de vindicta semel abscissi furis. K. [9]) si quis furtum fecerit abscissus nasum redimat aures etc. K. Si q. f. abscisus nasum commiserit. T. S. [10]) non add. S. [11]) idem. om. S. [12]) semel et bis ter commisso. add. K. S. [13]) hanc legem K. [14]) ut. add. S. [15]) non. add. S. [16]) de regali portione a comitibus defraudata. K. T. S. [17]) de spretione iusti iudicii comitis. K.

pellauerit, cupiens comitem suum reddere iniustum, sit debitor decem pensarum auri suo comiti.

X. *De violentia comitis.*[1]) Si quis comitum inuenta aliqua occasione, quid iniuste militi abstulerit, reddat, et insuper ex proprio tantum[2])

XI. *De solutione menda(cii).*[3]) Si quis autem militum, suum spontaneum donum dicens sibi ui ablatum, mendax extiterit, ex[4]) hoc careat, et insuper tantundem soluat.

XII. *De iudicio gladii.*[5]) Si quis gladio hominem[6]) occiderit, eodem gladio iuguletur.

XIII. *De debilitatione membrorum.*[7]) Si quis autem gladio euaginato alium quemlibet debilitauerit, vel in oculo, vel in pede, vel in manu, consimile dampnum sui corporis paciatur.

XIIII. *De adulatoribus.*[8]) Si quis falsum testimonium vel adulationis sermonem contra aliquos protulerit,[9]) tacereque eos deprecatus fuerit, ut astucia diaboli ad inuicem eos separet[10]) soluat duas compositiones fallacis linguę pro reatu mendacii. si uni soli adulatus fuerit, priuetur lingua.

XV. *Ne furis testimonium recipiatur.*[11]) Si quis illorum qui uulgo uduornich[12]) uocantur, furtum commiserit, lege[13]) diiudicetur; testimonium autem eorum inter liberos non recipiatur.[14])

(Ceteri codices et editio inter Caput XIII-um et XIV ponunt sequentia.)

---

[1]) de redditione rei a comitibus iniuste ablatae. K. T. S. [2]) tantundem. K. S. [3]) de mendacio sponte doni facti. K. doni sponte. S. [4]) et. K. S. [5]) de his qui hominem gladio occiderunt K. occidunt. T. occiderint. S. [6]) hominem gladio. K. [7]) gladio facta. add. K. T. S. [8]) de his qui mendacia inter duos proferunt comites. K. T. S.[9]) si quis inter duos comites mendacia protulerit. K. T. [10]) separaret. S. [11]) de furto udvornicorum. K. T. S. [12]) udvarnici. K. vdornich. T. Vdworyck. S. [13]) liberorum. add. K. T. S. [14]) testim. autem eius in-

XLVIII. *De gladii vulneratione.* Si quis vero gladio vulneraverit aliquem, et vulneratus de eodem vulnere sanus et incolumis evaserit, homicidii compositionem vulneris illator componat.

XLIX. *De gladii evaginatione sine vulnere.* Si quis furore repletus evaginaverit gladium, et tamen non laeserit, pro sola evaginatione mediam[1]) homicidii compositionem absolvat.[2])

L. *De testimonio seruorum, regali curiae vel civitati praepositorum.* Si quis senior[3]) curti[4]) regali vel civitati[5]) praeficitur, testimonium eius inter comites recipiatur. item[6]) si servus seniorem, si miles[7]) suum comitem interfecerit.

LI. *De conspiratione regis et regni.* Si quis in regem aut in[8]) regnum conspiraverit, refugium nullum habeat ad ecclesiam. Et[9]) si quis circa[10]) regis salutem aut dignitatem quolibet modo aliquid conspiraverit, aut conspirare aliquid tentaverit, seu tentari[11]) sciens consenserit, anathematizetur, et omnium fidelium communione privetur. Et[12]) si quis huiusmodi aliquem noverit, et post haec[13]) valens non edicaverit[14]) predictae subiaceat damnationi.

LII. *De decimatione.* Si cui deus decem dederit in anno, decimam deo det, et si quis decimam suam abscondit, novem det.[15]) Et si quis decimationem episcopo separatam furatus fuerit, diiudicetur ut fur, ac huiusmodi compositio tota[16]) pertineat ad episcopum.

---

ter ipsos non recipiant. K. T. S. [1]) mediam. om. K. S. [2]) compositum solvat. S. [3]) servorum. K. S. [4]) curiae. S. [5]) comitis. S.[6]) item. om. S. [7]) serviens. S. [8]) in. om. K. S. [9]) et. om. S. cetera a „si quis — damnationi“ desunt in T. [10]) contra. S. [11]) tentanti. S. [12]) vel. S. [13]) probare add. S. [14]) indicaverit. S. [15]) solvat. S. „si quis — det“ om. T. [16]) tota. om. K.

LIII. *De versutia comitum.* Si quis versutiis alicui comitum[1]) vel alteri personae fideli dixerit, audivi regem ad tuam[2]) perditionem loqui, et hic inventus fuerit, pereat.

[1]) versutus. S. versutiam alicuius comitis. K. [2]) tui. K. S.

Explicit decretum Stephani regis. K. sancti Stephani regis. S. sancti regis Stephani. T.

VITA SANCTI EMERICI DUCIS.

I.

De Sancto Hemerico filio sancti Stephani regis Ungarie.

Codex Lunaelacensis.

1. Inclitus dux Hemericus ex illustri prosapia, sicud cedrus ex Lybano a beato Stephano primo rege Ungarie exortus, uirtutibus admodum exornatus clarissime effulsit, puer quoque nutritus sub diligenti custodia, primo omni sciencia grammatice artis imbutus est. beatus itaque rex Stephanus paterne dilectionis ardore compunctus, filio suo beato Hemerico librum de institutione morum composuit. in quo fideliter et amicabiliter verbis eum ammonens spiritualibus alloquitur.

Editio Cracoviensis. 1511.

Postquam unigenitus dei filius omnipotentis post ascensionem suam per apostolice predicationis verba cunctis gentibus solatium sue visitationis impendens, eas a tenebris ad fidei lumen conuocaverat, novissimis ut ita dicam temporibus, per mellifluam beati Stephani primi regis nostri providentiam tocius pannonie regnum lumen veritatis agnouit: ipse enim

instruens eum qualiter ante omnia debeat obseruare fidem catholicam, confirmare statum ecclesiasticum, honorem impendere dignitati pontificum, principes et milites diligere, iustum iudicium observare, pacienciam in cunctis actibus suis habere, hospites benigne recipere, benignius attractare, sine consilio nihil agere, maiores suos ante oculos semper ad exemplum statuere, oracionis officium frequentare, pietatem et misericordiam cum ceteris virtutibus ad profectum peruigili cura possidere.

est noster rex et apostolus; ipse quoque de iure dyabolice potestatis exemptos[1]) ad veri dei cognitionem perduxit. Et quia eius gesta sunt inenarrabilia; nec nostri ingenii congruit paruitati; iustius et vtilius visum est[2]) quatenus filii eius beati Emerici pro modulo nostre possibilitatis edisseramus insignia.

2. Beatus itaque Hemericus modico contentus sopore, per singulas noctes cunctis se in lecto collocantibus, et ut regiam decet sobolem duobus candelabris ante se lucentibus, in psalmis deo decantandis vigilabat[3]) et in uniuscuiusque psalmi fine veniam cum cordis contritione a deo postulabat. quod cum pater eius nosset,[4]) caute imo et occulte per rimam parietis sepe prospiciebat, nulli tamen suorum manifestare volebat. in his omnibus considerandum nobis est, quam misericorditer[5]) nostre imbecillitati a deo consultum est, cum non solum iusticie[6]) regula nobis verbotenus instituitur, sed et beati viri huius ad imitacionem tamquam preclarum speculum ad spectaculum[7]) proponitur. nemini ergo sit onerosa paupertas,

[1]) ereptos. ed. Veneta 1498 [2]) fuit. ed. Ven. [3]) invigilabat. Cr. V. [4]) quod pater eius caute. Cr. V. [5]) quam pie quamque mis. [6]) milicie. [7]) sed et sanctorum virorum vita ad imitacionem tamquam directa via proponitur.

quoniam elegit pauperes dominus[1]) de quibus ait: beati pauperes,[2]) quoniam ipsorum est regnum celorum. nemo eciam diuites a regno dei excludendos esse[3]) contendat, eos videlicet qui sine cupiditate possident diuicias. unde preclare in laudem et decorem sui sancta ecclesia terribilis ut castrorum acies ordinata describitur, in[4]) tanta virtutum fulget eminencia, tantaque credencium varietate circumdata est, quod neque barbaris nacionibus diuina visitacio desit, quoniam verbum quod mandauit dominus in mille generaciones, iam totus mundus[5]) suscepit. Pannonia autem nostris fere temporibus ad fidem venit, que hactenus[6]) fedis paganismi ritibus fedata erat. sed[7]) exhortacione et eximiis meritis christianissimi regis sui Stephani scilicet[8]) in virtute fidei et incremento diuini cultus profecit.

3. Quodam itaque tempore cum beatus rex Stephanus ad ecclesiam beati Martini, quam ipse in sancto monte Pannonie inchoauerat, et egregia monachorum congregacione decorauerat, una cum filio causa oracionis[9]) aduenit. sed[10]) rex sciens pueri precellens meritum, honorem qui eum decuit, impendit filio. nam cum predicti fratres peracta processione salutare[11]) regem accessissent, propter reuerenciam filium suum premisit ad salutandum. puer autem Hemericus spiritu sancto repletus, prout diuina sibi reuelante gracia[12]) singulorum merita nouerat, singulis inequaliter oscula distribuit. alii siquidem unum, alii tria, alii vero quinque, postremo uni septem oscula[13]) continuauit. quam rem ceteris[14]) intuentibus beatus rex Stephanus tacite admirabatur, familiarique colloquio finita missa[15]) cur illis inequaliter oscula distribuisset diligenter ab eo sciscitatus est. beatus itaque Hemericus singulorum

---

[1]) dom. paup. [2]) spiritu. add. Cr. V. [3]) om. Cr. V. [4]) que. [5]) orbis. [6]) et que eatenus. [7]) om. Cr. V. [8]) om. Cr. V. [9]) orationis causa. [10]) om. Cr. V. [11]) salutaturi. [12]) gracia reu. [13]) om. V. [14]) ceterisque. C. cet. quoque. V. [15]) colloq. fam. missaque finita.

merita coram patre pertractans, videlicet quanto temporis spacio singuli in virtute continencie perstitissent, sub ea consideracione se plura aliis et pauciora aliis oscula dedisse edocuit. eumque cui septena multiplicauerat oscula uirginalem perduxisse vitam edocuit.[1]) o excitatrix omnium virtutum gracia, que[2]) nostre angustias nature habundanter excedis, que profunda misteria revelas paruulis, tu beato Hemerico magistra[3]) affuisti, tu ei liberam de occultis aliorum intelligenciam contulisti. huius autem interne reuelacionis veritas in eo hoc modo comperta[4]) est.

4. Paucis vero[5]) diebus interpositis, ex quo de sancto monte abscesserat, beatus Stephanus, duobus tantum ministris adhibitis, eodem[6]) ingressu vigilias fratrum et oraciones secreto explorabat.[7]) iam[8]) expleto matutinarum officio, ceteris in lecto se collocantibus, illi soli quibus beatus Hemericus oscula multiplicauerat, in ecclesia persistebant. diuisique in angulis ecclesie secrecioribus, in conspectu dei in psalmis decantandis inuigilabant.[9]) cum ad singulos sanctus rex diuisim accederet, faciem suam eis manifestauit, et in verbo benedictionis eos salutauit. singulis autem regiam maiestatem rupto silencio venerantibus, ipse nouissime ad fratrem Maurum nomine veniens, quem in septenis osculis beatus Hemericus commendauerat, nec blandiciis salutacionis, nec verbis regie comminacionis responsionem ab ipso[10]) extorquere potuit. mane autem facto cum fratres conuentum[11]) celebrarent rex ipse[12]) affuit, et ut animum fratris Mauri de humilitate[13]) temptaret, in communi audiencia plurima ei[14]) religioni contraria obiecit. cuius assercioni Maurus nullam contradictionem fecit, sed humiliter residens,[15]) ad deum,

---

[1]) virginal. vitam perduxisse asseruit. [2]) quam. V. [3]) in gracia. [4]) comparata. C. comprobata. V. [5]) enim. [6]) eo die regressus. C. eo regress. V. [7]) explorauerat. [8]) iamque. C. itaque. V. [9]) vigilabant. [10]) illo. V. [11]) conv. fratres. [12]) ipse rex. [13]) de virtute humilitatis. [14]) et. add. C. V. [15]) perstans.

qui humane mentis inspector est, sperando confugit. tunc uero beatus Stephanus filii sui[1]) rata esse cognouit, et re ordine narrata,[2]) Maurum laudibus extulit[3]) et ut locus pontificalis per eum decoraretur, paulo post[4]) in episcopum Quinque-ecclesiis[5]) sublimauit.

5. Post hoc[6]) autem beatus Hemericus etate proficiens, per virtutum merita gloriosa, sua[7]) semper augmentabat insignia. que quamquam nos per omnia explicare non possimus,[8]) pauca tamen que de gestis eius audivimus, ut non negligencie deputentur[9]) diligenter referamus.[10]) contigit autem[11]) nocte quadam oracionis causa secreto, uno tantum contentus famulo, vetustissimam[12]) et antiquissimam que in Vesprimie[13]) ciuitate ad honorem preciosissimi Christi martiris[14]) Georgii fabricata est, intraret ecclesiam, ibique oracioni vacando cum quid acceptabilius[15]) offerret penes se tractaret, subito lumen cum ingenti claritate totum ecclesie circumfulsit edificium. in quo vox divina in[16]) supernis sic insonuit:[17]) preclara est virginitas, virginitatem mentis et corporis a te exigo,[18]) hunc offer,[19]) in hoc persta proposito. ille autem non de[20]) se presumens, sed ad graciam tamquam ad veram medicinam confugiens, ait: domine deus uniuersitatis inspector et humane imbecillitatis adiutor, qui aufers spiritum principum, qui[21]) terribilis es apud reges terre, beneplacitum tuum in me perfice.[22]) itaque beatus Hemericus eadem hora in verbo diuine consolationis confortatus, secretum hoc apud se conseruabat, et ministro

---

[1]) verba. add. C. V. [2]) rei ordine narrato. [3]) ext. laud. [4]) eum. add. C. V. [5]) quinqueecclesiensem. [6]) haec. C. V. [7]) per virt. sua merita glor. semper. C. per virtutum suarum gloriosa semp. V. [8]) quamqu. vobis p. o. e. n. possumus. [9]) deputetur. [10]) referemus. V. [11]) ut. add. C. V. [12]) venustissimam. [13]) Vesprimiensi. [14]) mart. Chr. [15]) deo add. C. V. [16]) de. [17]) intonuit. [18]) a te ment. et corp. exigo. [19]) et. add. C. V. [20]) in. [21]) et. V. [22]) et noxios motus qui contra animam militant rore misericordie tue extingue. add. C. V.

illi qui huic diuino colloquio et aliis plerumque solus aderat, ne cuiquam rem huiusmodi usque ad obitum suum aperiret, obsecrando interdicebat. hec et quamplura virtutum insignia[1]) tamquam in secreto mentis cubiculo conclusa, penes sanctum Hemericum tenebantur, et usque dum fracta est ampulla, et odor unguentorum diffusus est, absconditaque[2]) detegebantur.

6. Interea cum[3]) ex paterna disposicione virgo nobilis, utpote orta de regali prosapia, beato Hemerico desponsata esset et adducta, ut ex utraque regali linea regia posteritas in posterum succederet, ipse carnalem generacionem, que corruptibilis est,[4]) spirituali proposito virginitatis postponens, ieiuniis corpus macerauit, animam autem pane verbi dei saturauit,[5]) ne qua carnis titillacio ei dominaretur, et[6]) intacte sue coniugis incorruptam seruauit virginitatem. o miranda iuuenis continencia, qui[7]) fonte lacrimarum restinxit amoris incendia, flammamque portans in gremio, non urebatur eius incendio. grande est enim et pene ultra mortalem[8]) naturam corpoream, sopire luxuriam, et concupiscencie flammam adolescencie facibus accensam domini virtute restinguere,[9]) et spirituali conatu iura[10]) oblectationis excludere, viuere contra humani generis morem,[11]) despicere solacia coniugum, dulcedinem contemnere liberorum, et quecunque presentis vite esse commoda possunt, pro nichilo spe future beatitudinis computare. magna hec ut dixi, et admirabilis virtus est,[12]) et non inmerito pro magnitudine laboris sui ingenti premio destinata. magnus quidem est pudicicie[13]) labor, sed maius premium; temporalis custodia, sed remuneracio eterna. de quibus Iohannes in apocalipsi ait: hi secuntur agnum quocunque ierit. quod ita intelligendum puto, lo-

---

[1]) signa. [2]) diff. e. nemini deteg. [3]) dum. [4]) quia corruptibilem. V. [5]) macerabat — saturabat. [6]) et. om. V. [7]) quae [8]) mortalium. [9]) animi virt. restringere. [10]) vim geminae obl. [11]) viv. c. hum. gen. morem. om. V. [12]) om. V. [13]) pud. est.

cum nullum eis in celesti aula claudendum, et[1]) cuncta eis diuersarum[2]) mansionum habitacula reseranda.[3]) sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, et quam deo digna sit, manifestius possit intelligi, illud recogitetur, quod dominus et saluator noster cum propter humani generis salutem carnem dignaretur assumere, non alium quam virginalem elegerit uterum, ut virtutem huiusmodi plurimum sibi complacere monstraret, et ut pudicicie bonum utrique sexui intimaret,[4]) virginem habuit matrem, virgo ipse mansurus, in se viris, et in matre feminis prebuit virginitatis[5]) exemplum, quo demonstraretur in utroque sexu beatam et integram diuinitatis[6]) plenitudinem meruisse, dum totum in matre fuit, quidquid habitaret in filio. verum ubi corpore dissoluto in etate adhuc iuuenili, data est ei hereditas interna viuencium, sponsa sua testimonium virginalis vite[7]) ei prehibuit. et familiaris[8]) minister qui viderat frequenter et audierat, ultra non abscondit.

7. Nec hoc pretereundum[9]) puto, quod aliquando Constantinopoli cum[10]) Almo duce commoranti, quidam religiosus canonicus Cesariensis ecclesie, ad grecorum imperatorem missus narravit, se in gestis sancti Ewseby legisse, quod[11]) eadem hora qua beatus Hemericus dissolutus est, sanctus Ewsebius Cesaree Palestine metropolitanus, cum in processione una cum clero et populo incederet, sonum angelice dulcedinis in excelso[12]) audiuit, apertisque oculis cordis animam beati Hemerici filii sancti Stephani primi regis Pannonie sursum transferri perspexit. aderat autem et demonum multitudo tamquam si quid in illo deprehenderet, unde[13]) offendiculum tanto confessori

---

[1]) at. V. [2]) divinarum. [3]) sunt. add. C. V. [4]) et. add. C. V. [5]) virginis. [6]) habitare add. C. V. [7]) virginitatis ei praebuit. [8]) familiarisque ille min. quae vid. [9]) praetermittendum est. [10]) domino. add. C. V. commorante. [11]) quia. [12]) excelsis. [13]) et. add. C. V.

intenderet.[1]) cumque sanctus Ewsebius in hac visione obstupesceret, de sursum audiuit eadem hora hanc ipsam animam beati Hemerici in iubilo ad supernam sedem[2]) transferri. eadem quoque visio et melodie dulcedo cuidam archidyacono per oracionem beati Ewseby reuelata est. et quoniam in ecclesia[3]) sunt miracula ubi humana imbecillitas ad credendum est tarda,[4]) tot tantisque virtutum signis dies obitus sui tricesima coruscauit, ut omnibus in regia urbe, ubi sanctum corpus eius humatum est, commorantibus, non dies meroris sed gaudii esset; cum nec ipsum patrem meror ob mortem filii angeret, sed eum ob coronam vite eterne filio indubitanter collatam, leticia plena perfunderet.

8. Unum autem de egregiis miraculis quod postmodum in diebus nostris pro confessore suo deus revelare dignatus est nostre narracioni assumimus, quamquam in hoc et in ceteris adeo famosa sine scripto sint[5]) omnia, quod[6]) et filii qui nascentur et exurgent hoc cognoscent[7]) et narrabunt filiis suis. erat igitur[8]) vir quidam Conradus nomine, idemque Thewtonicus nacione, adeo abhominabili peccatorum pressione[9]) sarcinatus, tantaque ignominia affectus, ut quasi quatriduanus mortuus in monumento esset fetidus.[10]) sed quoniam ipse qui Lazarum suscitauit[11]) in corpore, quotidie peccatores suscitat[12]) in mente, nec peccatorem predictum in profundo peccatorum reliquit. sed ut cognosceret quantis circumdatus esset[13]) miseriis, oculos mentis eius per compunctionem aperuit. predictus itaque Conradus[14]) ad vicarium sancti Petri,[15]) qui romane sedi tunc prefuit veniens, vulnera sui commissi detexit, et postulata satisfactionis iniunctione, medicinam

[1]) deprehenderent — intenderent. [2]) sed. supern. [3]) quon. necessaria sunt miracula. [4]) tar. est ad cred. tot. et tan. [5]) sunt. [6]) om. C. V. [7]) cogn. haec. [8]) ergo. [9]) pressura. [10]) in mon. feteret. [11]) resuscitavit. [12]) resuscitat. [13]) esset circund. [14]) Ille itaque ad vicar. V. [15]) beati Petri Hildebrandum. C. V.

anime expetiit. papa vero quantitatem peccatorum illius,[1]) tamquam antea inauditorum obstupescens, deliberatione habita, vulnera per iniunctam penitenciam non curauit. ne tamen desperans fluctuaret, consilio peccatorem confirmauit, itaque illum lorica[2]) circumdedit, et eam ut corpori firmius adhaereat, quinque cathenis ferreis, ad modum quinque plagarum christi circumcinxit, cartamque confessione[3]) illius inscriptam et cera circumdatam proprioque[4]) anulo sigillatam illi porrexit, et addidit monens[5]) et exhortans, quatenus omnia loca in quibus sancti dormiunt[6]) lustraret, sicubi diuina gracia sanctorum intercessione illum visitaret, hoc autem diuine visitacionis[7]) signum foret, si quando lorica fractis cathenis in partes persaliret,[8]) et carta nichil scriptum contineret. abiens ergo ille plurimorum[9]) loca sanctorum peragrauit, nouissime in[10]) Ierusalem ad sepulcrum domini veniens misericordiam ibi expectauit ab eo, qui sanat contritos corde, et alligat contriciones eorum. sed dominus non ostendit in illo virtutem[11]) suam in ciuitate munita, quatenus ad laudem et gloriam beati Hemerici reseruaretur. interea fama beati Stephani regis Pannonie, ad cuius sepulchrum quotidiana fiebant miracula, insignis habebatur, consummatoque itinere vir supra memoratus Albam peruenit, ubi corpus beati[12]) Stephani reconditum venerabatur. cumque in aliis virtus dei et intercessio regis eximii, crebris miraculis largius attingeret,[13]) penes se cum iuramento confirmauit, quod de loco ecclesie se non amoueret,[14]) quousque dominus in eo ostenderet, quanti meriti beatus Stephanus apud ipsum esset. factum est autem

[1]) ipsius. [2]) lor. illum. [3]) confessionis. [4]) propr. anulo. [5]) porrexit, monensque et exhor. [6]) dormierunt. [7]) visit. divinae. [8]) persiliret. C. prosiliret. V. [9]) plurima. [10]) om. C. V. [11]) non ostendit illi misericordiam. s. [12]) sancti. [13]) eximii celebris miraculis revelaretur, ille tamen vir in vinculis loricae arctius angeretur, penes se etc. [14]) non amoveretur. V.

cum esset hora diei quasi XII.[1]) ex nimia corporis fatigatione[2]) et cordis contricione, in ecclesia ille[3]) obdormiuit. affuit autem illi ex supernis[4]) beatus Stephanus[5]) dicens: surge,[6]) nec in meritis meis presume apud deum, quoniam non sufficio pro te intercedere. vade ergo ad sepulchrum filii mei beati Hemerici, ipsum intercessorem habe.[7]) ipse est qui in virginitate,[8]) deo complacuit cuius vestimenta non sunt coinquinata, hic[9]) sequitur agnum quocunque ierit. ipse est eciam ex eorum numero, qui ante thronum dei cantant canticum nouum, quod nemo potest cantare,[10]) nisi is qui virgo est. eadem itaque hora ille de sompno surgens, ad sepulchrum beati Hemerici in eadem ecclesia statim[11]) festinauit, et cum ibidem prouolutus oraret, repente lorica fractis cathenis per plurimas partes diuisa in terram prosiluit, multis in ecclesia admirantibus unde tanta ferri concussio sonitum[12]) dedisset. re autem declarata, conuenientibus clero et populo ac[13]) Fabiano cancellario, eiusdem ecclesie rectore, sigillum[14]) quod diu ille vir integrum tulerat, confractum est, et carta interius soluta[15]) est, sed[16]) in ea literarum vestigia non[17]) apparuerunt. tunc vero omnes qui affuerunt in laudem dei atque beati Hemerici proruperunt, et ut tantum beneficium memoriale eset, regi Ladislao, qui tunc temporis Pannonie prefuit uniuersisque episcopis et principibus regni quod viderant et audierant, super hac re notificauerunt. rex itaque Ladislaus utpote diuine religionis cultor eximius[18]) conuocato concilio et indicto triduano ieiunio[19]) nonas Novembris corpus beati Hemerici cum honore eleuauit. qua die et postmodum in multis miraculorum vir-

---

[1]) sexta. [2]) fatig. corp. [3]) ille in eccl. [4]) in somnis. [5]) ad hunc modum. add. C. V. [6]) nunc. add C. V. [7]) et. add. C. V. [8]) virginali vita. [9]) et. [10]) canere. [11]) situm. [12]) tantum f. con. sonum ded. [13]) a. [14]) papae. add. C. V. [15]) dissoluta. [16]) nec. add. C. V. [17]) om. V. [18]) om. C. V. [19]) in. add. C. V.

tutibus confessoris sui merita declarauit[1]) Iesus Christus dominus noster, qui cum deo patre et spiritu sancto viuit et regnat[2]) in secula seculorum. Amen.

II.
Excerpta e sermone Fr. Pelbarti de S. Emerico duce.

1. Pater eius rex Stephanus scripserat de hoc sibi legem, in qua primo continebatur de fidei catholice obseruantia. secundo de moribus, qualiter se habeat. tercio de reuerencia personis ecclesiasticis exhibenda. quarto de dilectione principum. quinto de susceptione pauperum, et eorundem sustentacione. sexto de defensione iusticie in regno.

2. Sic namque legitur de eo: quod fuit rigidus quoad se, sed pius ad alios, nam inter multa fercula regalia solo pane quandoque contentabatur, lecti quoque molliciem abhorrebat, et licet desuper regium ferret amictum, intus cilicium portabat, ac aliis quiescentibus in orationibus et psalmis cum Christo ipse vigilabat. Emericus ipse obediebat deo non solum in preceptis, sed etiam in consiliis; deinde patri, ad cuius voluntatem matrimonium contraxit, licet in eo usque ad mortem virginitatem seruauit. insuper suo famulo amore temporali seruiebat. De quo legitur, quod modico contentus sopore per singulas noctes cunctis se in lectis collocantibus, ut regiam decet sobolem, duabus candelis ante se lucentibus, in psalmis deo decantandis inuigilabat, et in uniuscuiusque psalmi fine veniam a deo cum cordis contricione postulabat. Quod pater eius caute per rimam parietis prospiciebat, nulli tamen suorum manifestabat, sed gaudens de tanta filii sui sanctitate deo gratias agebat.

---

[1]) declarat. [2]) deus add. C. V.

3. Quodam tempore beatus rex Stephanus ad ecclesiam sancti Martini, quam ipse in monte sancto fundauerat, egregia monachorum congregatione decorauerat, una cum filio suo Emerico causa orationis aduenit. Sed rex sciens pueri precellens meritum, dum peracta processione fratres ad salutandum regem accessissent, ipse puerum premisit, qui spirito sancto repletus, singulorum merita intelligens singulis inequaliter oscula distribuit, uni quidem unum, alii tria, alii quinque; nouissime uni septem oscula multiplicauit. quam rem beatus rex tacitus considerabat et admirabatur. Finita missa cur inequaliter distribuisset inquisiuit. Cui beatus Emericus singulorum merita manifestans, et secundum hanc considerationem oscula inequaliter dedisse patrem edocuit. cui vero septem oscula multiplicauerat, virginalem vitam duxisse asseruit. Cuius dicti veritas hoc modo comperta est.

4. Paucis enim diebus interpositis beatus rex Stephanus duobus solummodo ministris adhibitis vigilias et orationes fratrum in dicto monasterio explorabat. Cumque expleto matutinali officio, ceteris in lecto se collocantibus illi soli quibus beatus Emericus oscula dederat, diuisi in ecclesie secretioribus angulis in conspectu dei vigilabant. Cumque sanctus rex ad singulos accessisset, eos salutando, singulis rupto silentio regiam maiestatem venerantibus, nouissime ad fratrem nomine Maurum veniens, quem septenis osculis beatus Emericus commendauerat, nec blandiciis, nec comminacionibus regis responsionem ab eo potuit extorquere. Mane vero facto cum fratres ex more capitulum celebrarent, rex ipse affuit, ut animam fratris Mauri de humilitate tentaret, multa religioni contraria eidem obiiciens. Cui Maurus nullam contradictionem fecit. Ex hoc beatus rex rata esse cognouit filii sui verba, ideo fratrem Maurum pontificali dignitate Quinque-ecclesiis sublimauit.

5. Legitur de eo, quod cum vetustissimam beati Georgy martyris ecclesiam in Vesprimiensi ciuitate fun-

datam, causa orationis intrasset, uno tantum contentus famulo, ubi in oratione quid deo acceptius offerret, apud se tractabat, subito lumen totum ecclesie edificium cum ingenti claritate circumfulsit: de quo vox diuina sic insonuit: preclara est mihi virginitas, virginitatem mentis et corporis a te exigo, hanc offer, in hoc persta proposito. Ille autem non in se presumens, sed ad dei gratiam tamquam ad venam misericordie confugiens ait: domine deus universitatis inspector, et humane imbecillitatis adiutor, qui aufers spiritum principum, terribilis apud reges terre! beneplacitum tuum in me perfice, et noxios motus, qui contra animam militant, rore tue misericordie extingue. Qui verbo diuine consolationis confortatus famulo suo, qui huic diuino colloquio, et aliis sepe aderat, interdixit ne cuiquam usque ad suum obitum aperiret.

6. Interea virgo generosa beato Emerico desponsatur, ut ex utraque regali linea regia posteritas succederet. Ipse autem carnalem generationem quae corruptibilis est proposito virginitatis postponens, ieiuniis corpus macerabat, animam vero pane verbi dei saturabat, ne caro ei dominaretur, sicque intactam seruauit uirginitatem. O miranda iuuenis continentia! O predicanda eius deuotionis excellentia, qui fonte lachrymarum extinxit carnis incendia. flammam portans in gremio non urebatur; grande enim est, et ultra naturam mortalem, flammam adolescentie facibus succensam animi virtute restinguere. Magnus igitur labor castitatis, sed profecto maius premium, quia temporalis eius pugna, sed remuneratio eterna. — Pater eius beatus rex Stephanus conuocatis Hungariae baronibus a singulis sacramentum exegit, ut post se regnaturum preficerent, ac diademate ipsum insignirent. Sed dominus deus suum dilectum confessorem prius voluit corona glorie coronare quam temporali; ideo octo annis ante patris obitum migrauit in celum coronandus. Quod sic manifestatum est.

7. Nam eadem hora sanctus Eusebius Cesaree Pa-

lestine metropolitanus, cum in processione una cum clero et populo incederet, sonum angelice dulcedinis in excelso audiuit, de quo celum et terra resonabat; apertisque oculis cordis, vidit animam beati Emerici filii regis Hungarie inestimabili gloria duci in celum. Cumque sanctus Eusebius de hoc stuperet, audiuit protinus vocem de celo dicentem: Sic honorabitur qui deo in mundicia seruierit. Ipsa quoque visio et melodie dulcedo cuidam archidiacono per oracionem sancti Eusebii reuelata est. Tot et tantis signis choruscauit tricesimus dies sui obitus, ut omnibus in regia urbe Albensi morantibus, non dies meroris sed gaudii esset. Sed et patrem de filii morte amaricatum letum efficeret. Unde de multis ipsius, miraculum unum insigne referamus.

8. Nam in Theutonia fuit quidam sceleratissimus, nomine Korardus, qui compunctus, cum de enormibus peccatis absolutionem habere nequiret, tristis accessit ad Christi vicarium, qui eundem ob scelerum enormitatem lorica induit, ac duabus cathenis circumuinxit. Deinde peccata sua in carta conscripta, sigilloque proprio consignata, eidem tradidit dicens: vade, et sanctorum visita reliquias, et ubi dominus sua tecum ostenderit magnalia, ibi dissoluentur cathene cum lorica, et delebuntur scripta de carta hac, et aperietur sigillum hoc. Qui post multa sanctorum perlustrata loca venit Hierosolymam, credens ibi remissionem habere, ubi sanguis Christi pro redemptione est effusus. Sed deus volens honorare hunc beatum Emericum, ibi noluit illi sua ostendere mirabilia. Audiens igitur celebrem sancti Stephani sanctitatem, venit nouissime in Hungariam, ad sepulchrum eiusdem; qui ibi lachrymis et deuocione perfusus, voto se ex fiducia magna astrinxit dicens: hinc non recedam, donec sciam quanti meriti sis apud deum. Quem mox sopor oppressit, et ecce ei astitit beatus Stephanus dicens: Scias quod merita mea tibi non suppetunt, sed vade ad tumulum filii mei, qui seruiuit deo in virginitate, et est tanti meriti apud deum,

quod ipse tibi sufficere poterit. Qui expergefactus statim consurgens letus iuit in eadem ecclesia ad tumbam beati Emerici, et supplex cepit ipsum inuocare. Mirabilis deus in sanctis suis! ecce cunctis audientibus cum graui sonitu ceciderunt cathene, et lorica dispersa est per ecclesie pauimentum. Ad cuius sonitum omnes accurrunt, et vident dei magnalia. Sigillum etiam summi pontificis fractum intuentur. Sed neque vestigia literarum apparent in carta. Super quo prepositus ecclesie, una cum canonicis ac clero et populo glorificant deum, qui sic cognouit et sublimauit beatum Emericum, conseruans illi suam misericordiam.

III.

E Breviario Strigoniensi an. 1515.

Lectiones, hymnus, antiphonae et responsoria in festo sancti Emerici ducis et confessoris, Nonis Novembris.

Lectio 1. Postquam unigenitus omnipotentis dei filius post ascensionem suam, per apostolicae predicationis verba, cunctis gentibus solacium sue visitationis impendens, eas a tenebris ad fidei lumen reuocauerat, nouissimis (ut ita dicam) temporibus, per mellifluam beati Stephani primi regis nostri prudentiam, totius pannonie regnum lumen veritatis agnouit. Ipse enim noster est rex et apostolus, ipse quoque de iure diabolice potestatis ereptos ad veri dei cognitionem perduxit.

2. Et quia eius gesta sunt inenarrabilia, nec nostri ingenii congruit paruitati, utilius visum est, quatenus filii eius beati Emerici pro modulo nostre possibilitatis edisseramus insignia. Beatus itaque Emericus modico contentus sopore, per singulas noctes, cunctis se in lecto collocantibus, et (ut regiam decet sobolem) duobus candelabris ante se lucentibus in psalmis deo decantandis vigilabat, et

in uniuscuiusque psalmi fine veniam cum cordis contritione a deo postulabat.

3. In his omnibus considerandum nobis est, quam pie quamque misericorditer nostre imbecillitati a deo consultum est, cum non solum iustitie regula nobis verbotenus instituitur, sed sanctorum virorum vita ad imitationem, tamquam directa, proponitur. Nemini ergo sit onerosa paupertas, quoniam elegit pauperes dominus. De quibus dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. Nemo etiam diuites a regno dei excludendos contendat: eos videlicet qui sine cupiditate possident diuitias.

4. Quodam tempore cum beatus rex Stephanus ad ecclesiam beati Martini (quam ipse in sancto monte pannonie inchoauerat, et egregia monachorum congregatione decorauerat) una cum filio causa orationis aduenit, rex sciens pueri precellens meritum, honorem qui eum decuit impendit filio. Nam cum predicti fratres peracta processione salutaturi regem accessissent, pro reuerentia filium suum premisit ad salutandum.

5. Puer autem Emericus spiritu sancto repletus, prout diuina sibi reuelante gratia singulorum merita nouerat, singulis inequaliter oscula distribuit. Alii siquidem unum, alii tria, alii vero quinque postremo uni septem oscula continuauit. Quam rem ceteris intuentibus beatus rex Stephanus ammirabatur tacite.

6. Finita vero missa, cur illis inequaliter oscula distribuisset, diligenter ab eo sciscitatus est. Beatus itaque Emericus singulorum merita coram patre pertractans, videlicet quanto temporis spatio singuli in virtute continentie perstitissent, sub ea consideratione se plura aliis, et pauciora aliis oscula dedisse edocuit, eumque cui septena multiplicauerat oscula, virginalem vitam perduxisse asseruit. Tandem ieiuniis corpus macerauit, animam autem pane verbi dei saturauit.

HYMNUS.

Plaude parens pannonia de tam felici filio,
Cuius virtute varia coelum repletur gaudio.
In te regum de germine dux Emericus oritur,
Ortus salutis semine deo cultori subditur.
Ab ipsa pueritia deum timere didicit,
Subtus pedum vestigia cuncta terrena subiicit.
Conseruans pudicitiam vite deuitat maculam,
Domans cordis lasciuiam spernit consortis copulam.
Trino deo et simplici eiusque soli filio
Cum spiritu paraclito et nunc et in perpetuum
(gloria) Amen.

2.

Aue flos nobilium, sacre stirpis virgula.
Speculum sublimium, sanctitatis regula,
Salue spes humilium, sydus sine macula,
Lucerna fidelium, rubens mundi rosula.
Valle candens lilium, pigmentorum cellula,
Solamen flebilium, prece nobis sedula
Fer Emerice premium, repelle pericula.

Ascendentem misere vallis ab exilio
Sursum ducit iubilans angelorum concio,
Contradicens demonum confutatur legio,
Celum scandit libere liber omni vitio.
Sic Emericus iungitur sanctorum consortio.
Clara die celitus hec miranda visio,
Cesaree presuli monstratur Eusebio.

Letare pannonia mater et nutricia,
Cole cum leticia tue prolis gaudia.
Gaudens Alba regia de Emerici gloria,
Deo vota dulcia solue laude varia.
Jesu bone premia da de celi curia
Populo presentia colenti solemnia.

3.

Rubum flamma comprehendit
Comprehensum non incendit
Diuino miraculo:
Sic Emericum non offendit
Ardor carnis, sed defendit
Deus a piaculo.

In egypto vanitatis
Nouus Joseph Castitatis
Conseruando lilium,
In se duplex tam etatis
Quam carnalis voluptatis
Edomat incendium.

4.

Virum ligat pro peccatis papalis sententia,
Quod lorica corpus cingat hac cum penitentia,
Loca sacra lustret pergens per terrarum spacia.
Penitenti vel sic parcat diuina clementia.

Huic pro signo datur reo sui ferri fractio,
Quod concessa sit a deo peccati remissio.

Currit eger spiritalis causa medicaminis,
Ora rigat utriusque gemens unda luminis,
Fert in membris pondus ferri, mente massam criminis,
Passim quaerit, nil inuenit sperati solaminis.

Per Emerici confessoris sanctissimi merita
Tam penarum quam culparum huius laxantur debita.

5.

Legem dei iugiter beatus Emericus
Nocte die meditans deo fit amicus.
Disciplinam domini puer apprehendit,
Et mente celestibus deuotus intendit.

Corpus negat subdere nocturno sopori,
Laudes vigil soluere curat creatori.
Vanitatem respuens heret veritati,
Falli docens homines datos vanitati.

In quadam basilica sanctus dat se pronum,
Orans fusis lachrymis ante dei thronum.
Mente tractat domino quod et quale donum
Offerat; e celis hunc audiuit sonum:
Res grata virginitas; hanc da mihi donum.
Spreta cepit protinus spe posteritatis
Custodire titulum sue castitatis.

Puer igne celici incensus amoris,
Mundi spernit gloriam pro spe melioris.
Diadema despicit labilis honoris,
Coniugalem copulam contemnit uxoris;
Mente deo militat dux vocatur foris.
O quam admirabile quod passibus tutis
Petransiuit iuuenis viam iuuentutis.
Vite vitat maculam loquens veritatem,
Carnis vitat faculam per virginitatem.

Summi regis filius nostri regis natum
De se specialiter ostendens amatum,
Ne fallat malitia spiritum beatum,
De macula transtulit, sed non maculatum,
Regno mutans stabili mobilem ducatum.
Ne vel leuem sentiat in vita reatum,
Vite dedit iuuenis finem properatum.

In virtute domini Emericus letatur,
Quia virgo virgini Christo sociatur.
Hic innocens manibus et in corde mundus
Celi iunctus ciuibus gaudet letabundus.

O norma iustitie, limes equitatis,
Decor innocentie, luna puritatis,
Gemma pudicitie, flos virginitatis,
Castrum castimonie, campus charitatis,
Regem cernens glorie regno claritatis,
In loco miserie nobis collocatis
Defer donum gratie gratis et ingratis.

Dulcis dei spiritus, cuius magistratu
Dux Emericus*) preditus vite celibatu
Conseruatus penitus exstat a reatu,
Nos ure medullitus eius pro precatu,
Celique diuinitus dites incolatu.

E MISSALI QUINQUEECCLESIENSI ANNI 1499.

Stirps regalis proles regis
Imitator verae legis
Vera dedit gaudia.
Hic dilectus par est malis,
In silvarum lignis qualis
Arbor non est alia

Crevit puer Emericus,
Summi regis fit amicus
A primis cunabulis.
Cedit hostis huic antiquus,
Caro mundus inimicus
In crucis signaculis.

Clangit tuba Gedeonis,
Silent magi Pharaonis,
Nec dant signum tertium.
Dum in psalmis decantandis
Vigil perstat, et sanandis
Christi dat commercium.

Salutantur Dei fratres,
Puer hic honorat patres
Pia post oracula.
Uni unum, alii duo,
Terna terno, septem quarto
Diversa dans oscula

*) Legendum ubique Emricus pro Henricus; et sic pronuntiant hungari: antiqui Emreh; recentiores Imre. Emricus est constans lectio apud Simonem de Keza in codicibus Horányiano et Vindobonensi, cum de sancto duce agitur. Belae III-i regis filius Emiricus apud eundem scribitur.

Stupet pater haec cum videt,
Moestus vultu corde ridet,
Pium placat filium.
Pandit puer veritatem,
Fratris monstrat sanctitatem
Virginale lilium.

Hic Corrado anxiato
Et catenis colligato
Rupit ferri vincula.
Illustrata Pannonia
Signis multis cum gratia
Det laudes per secula.

DISQUISITIO I.

DE CONTEXTU SUPPLEMENTOQUE CODICUM SANCRUCENSIS ET MELLICENSIS.

In codicibus Sancrucensi et Mellicensi Legenda maior iisdem verbis: „omne datum optimum“ incipit, in eademque verba: „fidem orthodoxam servare“, in media sententia desinit. Sequitur enim in codice Hartviciano complementum: „quam acceperant“. Nulla in iis obitus exequiarumque mentio. Subiungitur continuationis instar Legenda minor: „Cum intelligamus etc.“ usque „in theca argentea signaverunt“. Datur in hac posteriori legenda vita sancti, cum exequiis, et translatione corporis in honoratiorem locum. Et haec quidem videtur fuisse ratio, minus hoc opus, sed integrum, maiori mutilo postponendi; nempe ut narratio quae ibi abrumpitur, hic ad finem perducatur.

Contulimus diligenter hos codices, et tertium Hartvicianum, quo Legenda maior tota, et partes minoris continentur. Lectionibus variis accuratius expensis, operae pretium duximus, praecipuas horum codicum consonantias et discrepantias exemplis copiosioribus adducere, ne in iudicando sententiae nostrae plus aequo tribuisse videamur.

I. CONSENSUS CODICUM SANCRUCENSIS ET MELLICENSIS.

1. **Eadem lectione brevius scriptorum.** Interim autem divinis conspectibus se probabilem reddidit, ut omnes militiae suae comites ad veri dei culturam converteret. min. 3. Intantum (intm.) se probab. redd. ut — H.

Provincias in X partitus est episcopatus, strigoniensem eam metropolim et magistram — ceterarum fore constituit. mai. 8. Strigoniensem ecclesiam (eam.) H.

Aeterni per secreti consilii quandam examinationem, filiorum suorum obitus sensit imminere verba mai. 15. verbera. H.

2. **Iisdem additamentis.** Pacem — corroboravit. ut (in S. M.) eo securius, quod in mente tractabat, in nouella plantatione christianitatis explere sufficeret. H. mai. 6.

Stephanus quippe graece corona (corona[tus] P. coronatus S. M.) sonat latine. R. mai. 5.

Quae — quam frequens et benefica circa deo servientium congregationes apparuerit multarum ecclesiarum cruces et vasa vel (prae- S. M.) paramenta — testantur. H. mai. 10.

Ecce bessorum inopinata calamitas incendiis et rapinis cuncta devastavit, per revelationem dei — animabus hominum salvatis per receptacula munitionum (condidit S. M.) H. mai. 14.

3. **Iisdem lacunis** Anno dominicae incarnationis MXXXVIII indictione VI. Heinrico romanorum augusto, anno autem imperii sui XXXVIII. (XVIII. W.) kal. septemb. obiit min. 10.

Erat tunc princeps (qu)intus (quartus. H.) ab illo, qui ingressionis in pannonia dux primus fuit. mai. 2.

Ipsum quippe in hoc seculo (coronare H.) deus voluit ad regni potentiam, et in futuro corona beatitudinis semper permanentis redimire decrevit. mai. 5.

Pacem cum exterarum (provinciarum. H.) populis fideliter statutam corroboravit. mai. 6.

Undique fit (con- H.) cursus deo famulantium. mai. 8.

Sub titulo ipsius (S. Martini) monasterium construens, possessionibus — ditavit, et (ipsius H.) suffragio domitorum decimationibus simile fecit episcopiis. mai. 8.

Decretum — in quo scilicet uniuscuiusque (culpae H.) contrarium dictavit antidotum. mai. 9.

Instruens (filium) qualiter debeat observare catholicam fidem — sine consilio nihil agere et (maiores suos ante oculos semper H.) ad exemplum statuere. mai. 15.

Deinde monuit illos paterne fidem orthodoxam servare (quam acceperant. H.) mai. 15.

4. **Eadem uterque errata exhibet**. Multa eorum gloriose (gloriosa W.) certamina mundus olim habuit, quae vetustate temporum clausa, fidelium memoriae non sunt commendata, quia vane (vate W. E.) sacro caruerunt. min. 1.

Nec doctas compositasque grammaticorum lineas, aut philosophorum interpretatorum (interpretationes. W.) seu sophistica acumina imitamur. min. 2.

Scripturarum divinarum quibus adprimum (adprime H.) flagrabat, non immemor. min. 4.

Omnes ditioni suae subditos se pollicens christiano nomine (nomini. H.) mancipaturum. mai. 3.

Ipse vero rex episcopia nuper incepta — crucibus et vasis, aliisque subpectionibus (supellectilibus. H.) ad ministerium dei pertinentibus — sufficienter decoravit. mai. 10.

In civitate quae dicitur Alba — famosam et grandem basilicam — construere cepit, quamque videntibus (quam qui vidit. H.) testimonium veritatis. verborum nostrorum perhibent (perhibet H.) mai. 11.

Decrevit iam filius (servus. H) dei, qui (quae. H.) tunc habebat, et adquirere poterat, omnia christo, quae ipsius dono unxerat (ex ips. dono fluxerant) conferre. ibid.

In capite mundi Roma — XII canonicorum congregationes (congregationem. H.) cunctis pertinentiis habundantes (—dantem. H.) statuit, et materiam (maceriam. H.) in circuitu lapide muratam. ib.

Ipsam quoque regiam urbem Constantinopolim, beneficiorum munere non privatum (privavit. H.) ib.

Imperator — sciscitans qualiter res facta fuerit, cum nuntium reversionis eorum non solus (suum. H.) fuisse veraciter sciret, per consilium divinitatis — factum non dubitavit. mai. 14.

De quorum morte moestitiam orbatam (obortam. H.) genitor, propter amorem filii superstitis — Heinrici solatio compescuit. mai. 15.

Libellum de institutione morum constituit, in quo fideliter. et amicabiliter verbis eum admonitionis spiritaliter (spiritalis. H.) alloquitur, ib.

Tanta codicum consonantia induxit viros doctos ut statuerent Mellicensem e vetustiori Sancrucensi fuisse descriptum. Ne tamen illico pedibus in hanc sententiam eatur, obstat paulo maior utriusque codicis discrepantia in verbis, additamentis, et lacunis.

II. DISCREPANTIA CODICUM S. ET M.

1. **In lectione brevius scriptorum.** Cum — circa mediam horam diei sopori indulgeret — videbat (videbatur. M.) adstantibus praesentialiter inimicis patrie loqui. min. 7.

Egenum Christum in membris suis consolari deliberans temporaliter, ut ipse vitae coelestis cameram — iocundari meruit (meruerit. M. mereretur. H.) aeternaliter. mai. 12.

In iustitia sanctitatis — conversari decrevit, ut in eo iam quaedam futurae glorificationis species (spes. M. H.) clarescere videretur. mai. 15.

2. **In emendatione erratorum.** Evigilans — qui sua proferret nuntia adesse mandavit. cui assistenti, non meae inquit legationis caussas explere poteris. sed alius, qui fidelior inveniatur accedat. praesentatum vero eisdem verbis redire praecepit. amoto (ammoto. M.) et tertio: perge, inquit, festina propere. min. 7.

Statim experrectus causam requisiuit, — vir ille anxius obruit (obriguit. M.) consilium furoris sui recognovit, doluit, accessit, procubuit. min. 9.

Rex divina praeeunte clementia adversus eos consurrexit, et hi infidi (in fide. M.) illi vero tantum in armis confidentes utrinque decertaverunt. min. 5.

Inter plurima distincta (distincto M.) gemmarum colore perornata phylacteria. min. 6.

Quae inquid causa malorum? mi domine refererunt (referunt M.) nos servi tui etc. min. 8.

Multis annorum cursu labentibus — thesaurus tantae pecu-

niae in terra latuit, et mortalium cognitionem (— tioni M.) occultus, solius oculis domini apparebat. min. 10.

Contigit divinae pietatis intuitu in filios perditionis et ignorantiae populum rudem — ungaros videlibet (videlicet. M.) — clementi usu (visu. M) de coelo prospiceret (prospicere.) ma. 1.

Adpropinquante spiritualibus (spiritualis. M.) fulgore carismatis. mai. 2.

Quid plura? adest tempus coelitus depositum (dispositum. M.) mai. 3.

Se principatumque cum filio nascituro custode (custodiae. M.) illius, qui non dormit neque dormitat — commendavit. mai. 4.

Devictis — hostibus christi miles — totus (totius. M.) ingenii consilium evangelici sermonis decrevit fore receptaculum. mai. 7.

Ubi usque hodie congregatio monasterialis — temporalium sustentione (sustentatione. M.) copiarum superhabundans. mai. 7.

Quinto post patris obitum anno, divina sic voluntate (volente M.) clementia — rex appellatur. mai 9.

Ipse quoque paternae dilectionis amore (ardore. M.) compunctus libellum de institutione morum constituit. mai. 15.

Videns se solum sine spe posteritatis adrelictum (derelictum. M.) pietatis affectu doluit. sciens vero scriptum: non esse (est. M.) prudentia non sapientia — contra dominum ib.

Semper sic apparens ac si ante tribunal Christi staret. interioribus oculis eius praesentia vultus (praesentiam vultu. M.) verendo conspiciens — Christum in cunctis actibus etc. ib.

Filiorum suorum obitus sensit imminere verbera, quos in ipsis infantiae gradibus quos (qui. M.) dedit, abstulit. ib.

Deinde monuit illos paternae fidei (paterne fidem M.) orthodoxam servare. ib.

3. **In perperam mutatis.** Nec — sophistica acumina imitamur, quia stultum (statutum. M.) est in altum navigare, si non possit ad portum transmeare. min. 2.

Sanctissimi confessoris Stephani regis vitam — sicut fideli et veraci relatione (religione. M.) tunc temporis inventum accepimus. dignum — duximus posteritati transmittere. min. 2.

Filio arce regni sublimando uxorem nobilissimam, ex latissima romanorum imperatorum prosapia derivatam (dirivatam. M.) duxit. min. 3.

Multi servorum, quorum animus cereus (certum. M.) est flecti in vitium, malignitatis face (facie. M.) succensi obviam illis exierunt, quosdam gladio percusserunt, quae omnium eorum fuerant auferentes (afferentes. M.) min. 8.

Quoniam Pannonia beati pontificis Martini nativitate gloriatur — rex — inito (initio. M.) cum theophylo consilio — monasterium construens etc. mai. 8.

Tandem per misericordiam dei dignus centuplicatae (centuplicitate. M.) retributionis bravio. mai. 15.

4. **In expletis lacunis.** Urbem quae Besprem nominatur obsederant, hoc ad (con. M.) vitia eius commoventes, ut etc. min. 5.

Per omnem regionem (in. M.) ingressu viarum duo et duo suspendio perierunt. min. 8.

(Filium Heinricum) precibus (Christo. M.) quotidianis commendavit mai. 15.

Diem ultimum semper ante (se. M.) cordis, desiderio toto mentis statuens. mai. 15.

5. **In omissis**. Quidam partes et divisiones (regnorum et. S.) provinciarum cum praefectis et praepositis, ad christianae religionis cultum perduxerunt. mai. 1.

Surgunt claustra canonicorum, florescunt (claustra. S.) coenobia regulariter conversantium (canonicorum. S.) congregationum. mai. 8.

Cameram omni genere vasorum chrystallinorum onychinorum aureorum (argenteorum. S.) pleniter refertam. ib.

Si pastoris culpa quod meretur ipse luat in ovibus. (parce precor ovibus. S.)

6. **In additis.** Neque quippiam boni potest in rebus (existentibus. M.) esse vel fieri absque beneficio — dei. mai. 1.

Ut quos — de sedibus naturalibus in occiduas partes prius exciverat, hos — ad iustitiae semitam deleta nebula (nullius. M.) ad spem in aeternum permanentis perduceret retributionis. ib.

Dedit illi gloriam in conspectu hominum, clarescente miraculorum frequentia — sicut iubar novi luminis, sanctitas eius in omnem circa regionem resplenduit, et tamquam svavitas odoriferi unguenti audientium corda replevit. (Fluebant omnes diversi languoris homines, qui antidoto pietatis suae attacti curabantur, et qui corruptionis plaga paene defecerant, in solidum adstricti revertebantur. M.) Praesidente in regni etc. min. 10.

7. In variantibus eiusdem ferme valoris. Cum intelligamus sanctorum merita in libro vitae scripta (adscripta. M.) min. 1.

Ad priores voluntatis (voluptatis. M.) suae usus animum reducentes. min. 5.

Statuit atria sanctae matris ecclesiae ampliare (amplificare. M.) min. 6.

Quosdam familiarium suorum Romam adire delegit, commendans facultates magnas (multas. M.) nimis. ib.

Singulis annis quamdiu advixit, munera et oblationes semper augebat (superaugebat M.) ib.

Post non multum temporis aegrotationem incurrit, qua postmodum corpore discessit (decessit. M.) min. 9.

Unus eorum audacter (audaciter. M.) sub obscuro ingressus est. ib.

Adversus eos iudicia (iudicio. M.) locutus est. ib.

Corda tollentes ad deum hymnorum vocibus resonuerunt (resonaverunt. M.) min. 10.

Ipsa mundi totius metropolis Roma cum (et. M.) monarchia dignitatis imperatoriae. mai. 1.

Impleta sunt verba prophetiae (prophetae M.) dicentis: populus qui ambulabat (ambulat. M.) in tenebris vidit lucem magnam. mai. 4.

Aliquando communiter cum omnibus, aliquando sigillatim (singillatim. M.) cum unoquoque eorum colloquium habens. mai. 8.

Gillam — gestamine coronae sociam esse notificavit (significavit. M.) mai. 10.

Ex adductis verisimile videtur utrumque codicem ex antiquiore quidem, sed lacero atque mutilo exemplari esse desumtum; ita

tamen, ut scriba Mellicensis vel accuratior in exprimendis locis evanescentibus, vel felicior, literis nondum penitus detritis in legendo fuerit. Quod vero ad lectiones codicis Hartviciani attinet, cuius exempla interpolata habemus, quamvis caute sint cum nostris conferendae, tamen ad supplendum Legendae maioris defectum, is codex unicum subsidium praebet.

Non solum enim de vita et morte sancti regis, sed etiam de iis quae ante et post translationem eius evenerunt digna memoratu, narrationem non interruptam continet. Partes deperditas auctori Legendae maioris, ex isto codice, restituere conati sumus, ducti cohaerentia rerum narratarum et similitudine stili. Quibus coniectura nostra, in specie, rationibus nitatur, exempla docebunt.

SUPPLEMENTUM *§. 15-i.*

Paterne monuit illos — prae omnibus novellae Christianitatis plantationi custodiam adhibere. = ut eo securius quod in mente tractabat in novella plantatione christianitatis explere sufficeret. 6. Si placet tibi domina — novellam plantationem christianitatis aboleri. 14.

Manus et oculos levans ad sidera. = manus et cor levans ad aethera — talem erupit in vocem. 14.

Sic exclamavit: regina coeli reparatrix inclita mundi. = Sicque exclamavit: regina coelestis et mea! 13.

Tuo patrocinio sanctam ecclesiam committo. = Sub tam religiosissimi principis patrocinio. 7. Perfectionem propositi sui dei commisit voluntati. ib. ceteras sedes patrum curis et provisionibus commisit. 8.

Ecclesiam cum episcopis et clero, regnum cum primatibus et populo = Convocatis Hungariae primatibus cum ordine sequenti. 5. Praesulibus cum clero, comitibus cum populo laudes congruas acclamantibus. 9.

Manibus tuis animam meam commendo. = Cui haec omnia — dominus commendabit. 3. Se — custodiae illius — commendavit. 4. Canonicorum ministerium episcoporum providentiae — commendabat. 10.

Dies assumtionis eiusdem perpetuae virginis Mariae — Sub tutela perpetuae virginis — Mariae. 11. Dominae suae perpetuae virgini — Mariae iniurias commendans. 14.

Rex deo dilectus. — Dilectus deo Stephanus. 9.

Ex omnibus Pannoniae plagis concurritur. = Pannoniae patriam inhabitantes. 1. Ingressionis in Panonniam dux. 2. Regno pannonico. 6. Undique fit concursus deo famulantium. 8.

Corpus ad sedem regalem, Albam videlicet civitatem deducitur. = In ipsa regalis sedis civitate quae dicitur Alba. 11.

Et quoniam ecclesia beatissimae virginis ab ipso constructa nondum erat dedicata, inito consilio statuunt pontifices prius basilicam sanctificare. = Inito cum theophilo consilio. 8. Statuit insuper preceptum. 2. Statutum a se decretum. 9. Adalbertus boemiensis ecclesiae pontifex. 4. Famosam et grandem basilicam (Albae) construere coepit. 11.

Corpus terrae commendare. = Beneficia — prae omnibus sunt illa dinumeranda scriptisque commendanda. 12.

Corpus sanctum in medio domus sarcophago — imponitur. = Pro cunctis domus episcopatus Bespremiensis. — quam ad dei servitium in auro vel argento vestimentisque multiplicibus nobiliter adornavit. 10.

Omittenda fuerunt extrema huius capitis: „ubi per annos plures dominus — febricitantibus — beneficia praestitit. — melodia cantus angelici — odoris svavissimi dulcedo — dispergebatur.“ Quia capite sequenti „corpus beatum non apertis signorum indiciis 45 annis quievit;“ supplicationesque decernuntur ad obtinendam „manifestationem signorum.“ “Melodia cantus angelici“ e legenda S. Emerici huc translata; „odoris autem svavissimi dispersio“ post apertum demum. (§. 19.) sepulcrum evenisse legitur.

§. 16.

Miro dispositionis ipsius secreto. = Iuvenis praeclarus dispositioni aeternae — obediendo. 15.

Corpus humi gravedine pressum. = Gravedinem morum — usque ad finem vitae tenuit

Tempore praedestinato. = Tempore suae praedestinationis. 1.

Ut — renovari gloriosius mereretur. = Quem tunc gentes videre meruerunt. 4. Iocundari meruit aeternaliter. 12.

Oculis spiritualibus delectat intendere. = Illud intendebat esse praecipuum. 12. Interioribus oculis eius praesentiam — conspiciens. 15.

Quod sine praeordinationis affectu divinae factum non aestimatur. = Quod alienum a consilio dei non credimus.

Quaedam in ipso terreni pulveris aspersio igne divinae examinationis purificanda remanserat. = Nemo inimicum sine iudicum examinatione laederet. 9. Aeterni per secreti consilii quamdam examinationem. 15.

Quasi quodam iure potentiali = Patris dexterae naturaliter et potentialiter est associatus. 1. Geiza — crudelius olim potentialiter agens in suos. 2.

Rex Ladizlaus — virtutum fulgore conspicuus. = Appropinquante spiritualis fulgore karismatis. 2. Quotiens curiam ipsius adventus sui fulgore perlustravit. 13.

Laudibus et servitio dei perfecte deditus. = Erat vir iste — in omnibus actibus suis deo perfecte deditus. 11.

Spiritus paracliti perlustratione tactus. = Quadam nocte spirituali monitu tactus. 13. Multi presbyteri et clerici instinctu spiritus paracliti compuncti. 7.

Habito colloquio cum episcopis et primatibus. = Per communis consilium colloquii filium — populo praefecit. 5. Cum his dei servus — colloquium habens. 8. Cum episcopis et primatibus Hungarie statutum a se decretum. 9.

Pro intrusis habenda sunt: „quot annos — tot corpus;“ quia in nullo alio codice apparent, nec anni regiminis cum §. 5-o et 6-o congruunt. Ab initio enim regiminis 997. post 23-am Aprilis (regno denique pannonico beati iuvenis nutum attendente.“ 6.) — usque 1038. 15-am Augusti non 45, sed 41 tantum anni numerantur. Eadem suspicione falsi laborant: „interiectis itaque XLV annis — ad dominum convertissent,“ tempus enim signorum infra „adveniente vero tempore declarationis eius etc.“ satis plane desi-

gnatur; „institutionis vero romanae sedis, et apostolicarum literarum,“ nec in Legenda minori, nec in „elevatione“ S. Emerici fit ulla mentio. Denique in huius capitis iterato perscripta, ideoque pro genuina habenda narratione („adveniente — quaerendum“) rege et synodo praecipiente decernuntur supplicationes ad obtinendam „manifestationem signorum a christo.“ — Aliunde sumta etiam narratio de Salomone e carcere dimisso. „Sed ut ostenderet dominus — ac si nihil ante ponderis habuisset.“

Quia lapis sepulcralis, post edita demum „miraculorum signa“ §. 18. huius legendae, tollitur, et sine ulla difficultate. Denique interpolator priorum oblitus, his de Salomone insertis, repetit scripta de rege Ladislao, et indicto triduano ieiunio.

§. 17.

Cunctis divinae miserationis beneficia praestolantibus = absque beneficio venientis miserationis dei. 1. Inter omnia supernae miserationis beneficia. 12.

Subito plebem suam Christo visitante. = his dictis se vir dei coelesti gratia percipiens visitatum. 13. Sanctus respectu miserationis dei se visitatum intelligens. 14. exterorum etiam monasteriorum viros munificentiae regiae donis — saepe visitavit. 15.

Miraculorum insignia per amplitudinem domus sanctae funduntur. = miraculorum insigni potentia — mirificavit. 1. testibus miraculorum signis per ipsum a domino factis. 7. frequenter pavimento adhaerens domus sancte. ib.

Recepta totius corporis sospitate signorum fecit initium. = dei propitiatione — statim sospitatem recepit 14.

Omnium Christo laudes clamantium augmentavit gaudium. = comitibus cum populo laudes congruas acclamantibus. 9.

Parentes fide pleni (puerum) beati viri suffragio conferentes. = (monasterium S. Martini) ipsius suffragio domitorum decimationibus simile fecit episcopiis. 8. recolens se nihil posse sine suffragio Christi. 14. Se cum regno suo sub tutela perpetuae virginis Mariae — conferens. 11.

Christi nomen laudabili clamore glorificaverunt. = Christo laudes clamantium. supra.

Totam noctem deus — multorum fulgoribus signorum mirabiliter perlustravit. = rex ladizlaus — virtutum fulgore conspicuus. 16. totum mundum — perlustraverunt. 1.

Miraculum unumquodque laudum clamoribus manifestum facere non cessabat. = qualis vir vitae fuerit — statutum a se decretum manifestum facit. 9.

Sententia „quorum tamen — satagimus" Hartviciani interpolatoris esse videtur; quia in fine §. 18-i scriptor se pluribus excusat, cur cetera non scripserit. Eodem plane modo tentat interpolator noster connectere prologum huius Legendae cum §-o secundo: „quod qualiter et quando factum sit memoriae commendare congruum duximus."

Cetera huius capitis „his inserendum videtur — viventem accepit" scripta in pagella dimidiata, aversa parte vacua codici iam ad finem perducto adglutinata, inter verba nuntius folii 16-i et sciscitanti fol. 17-i §. 16. ex eodem libro fuerint depromta, qui Salomonis e carcere dimissionem continebat.

§. 18.

Convenientibus in ecclesiam cum rege principibus, cum clero pontificibus. = praesulibus cum clero, comitibus cum populo. 9. cum clero paternitas episcoporum, cum manu ministrorum principalis chorus comitum. 15. Adalbertus boemiensis ecclesiae pontifex. 4. Statuunt pontifices prius basilicam sanctificare. 15.

Sublata tabula marmorea quae pavimento prominebat = corpus sarcophago candidi marmoris imponitur. 15.

Quieverunt ossa pretiosa = quievit corpus beatum. 16.

Evacuato sarcophago = sarcophago imponitur. 15.

Laudes et gratias divinae pietate proclamantes. = omnium Christo laudes clamantium augmentavit gaudium. 17.

Tam extra quam intra basilicam salutem petentibus miraculorum signis se praesentem esse notificavit. famosa basilica, 11. 15. sociam esse notificavit. 10. testibus miraculorum signis 7.

Haec omnia virtus divina, non solum ipsa die, sed post tempore multo — dignata est operari — in viro dei quanti meriti post obitum foret divina virtus in vita sua demonstrare voluit. 14.

(miraculorum) pluralitas — ipsa nocte numerum excesserat. 17. A suis in feretro delata mox ipsa die — se meliorari sensit, ac in brevi vitae prioris sospitate recepta = 14. 17.

Super bonos et malos solem suum clarescere facit = ut in eo iam quaedam futurae glorificationis species clarescere videretur. 15.

Beneficiorum multiplicitatem cunctorum proficuo consulentem. = pluralitas miraculorum. 17. quod catholicorum utilitati videretur fore proficuum. 16.

§. 19.

Illud tantum — addere decrevi. = totius ingenii consilium evangelici seminis decrevit fore receptaculum. 7. decrevit iam filius dei omnia Christo conferre. 11. cordis ianuas nunquam claudere decrevit. 13. Coram ipso conversari decrevit. 15.

Ipsa hora qua tumulus fuerat apertus = ipsa die qua beati viri tumulum attigit. 18.

Haec tibi committo servanda = perfectionem propositi sui dei commisit voluntati. 7. tuo patrocinio ecclesiam committo. 15.

Annulus mirifici operis = vasa vel paramenta opere mirifico facta vel contexta. 10. basilicam opere mirifico construere fecit. 11. Constantinopolim — ecclesia mirifici operis donavit. ib.

Monasterium quod rex suo regimini commendaverat = Canonicorum ministerium episcoporum providentiae — commendabat. 10. dei genitrici iniurias commendans. 14. beneficia — scriptis commendanda. 22.

Tempus praedictum praestolaturus. = beneficia per beati viri merita praestolantibus. 17.

Appropinquante tempore rei declarandae = adveniente tempore declarationis eius. 16.

Coadunatis episcopis et Hungariae primis = ut pacis per quam Christus mundum coadunavit se fore probaret filium. 9. totius Teutoniae manu coadunata 14. accersitis episcopis et primis palatii. 15.

Multis a Christo miraculorum beneficiis erogatis. = expensas totius sumtus — peregrinis viduis orphanis erogavit. 15.

§. 20.

In pulverem carne redacta. = corpus humi gravedine pressum et in pulverem redactum. 16.

Veritas dicit in evangelio. = ex evangelio — per veritatis ipsius testimonium dicentis. 12.

Beati misericordes etc. — date et dabitur vobis = 12.

Beati viri dextera fuit aliena putredinis = quod alienum a consilio dei non credimus. 5.

Mandatum dominicum in lauandis egenorum pedibus cottidie renovavit. = non est alicuius egens, nisi ut — aliorum pedes secundum evangelium lavet. 7. nocturnas vigilas in lavandis Christi fidelium pedibus — transigere solebat. 12.

Viduarum et orphanorum miserias et indigentias suas esse computavit. = de quibus is christianissimus rex non minimus fuisse computatur. 11.

Cunctis ad nutum divinitatis proficiens. = ad nutum etiam ipsius servi dei rex — monasterium — incepit. 13.

Inde desiderabilis supernorum civium cohabitatio = supernorum civium adiunctus cortubernio. 15. iam inter coelestis patriae cives cupiebat habitare. ibid.

DISQUISITIO II.

DE AETATE ET FIDE LEGENDARUM MINORIS ET MAIORIS.

I. AETAS (1.) LEGENDAE MINORIS.

Scriptor Legendae minoris post „elevationem" S. regis (1083) §-o 10-o memoratam; imo si locutio „piae memoriae rex" defunctum designat, post mortem Ladislai regis (1095.) opus suum perscripsit.

Verisimile est editionem libelli huius regnante Colomanno. Hungarorum rege, nec serius contigisse; quia scriptor §. 2-o provocat ad „fidelem et veracem relationem" hominum sancto regi supersti-

tum.[1]) Testes isti rerum oculati initio regiminis Colomanni, 70 vel 80 annos nati, nonnulla scripto etiam consignaverint, in adminiculum memoriae senio titubantis.

Nec obstat, quod scriptor Legendae S. Emerici in praefatione se vitam sancti regis scribere non ausum fuisse dicens, anno 1110. cum primum Almus dux Constantinopoli versari potuit (§. 7.) eam vitam nondum conscriptam fuisse innuat; noster vero „authenticas librorum scripturas revolvendas" memoret.[2]) Biographum enim nostrum, „scripturarum" nomine adnotationes chronicas, annales tunc temporis scribi solitos, non biographiam proprie dictam, designasse arbitramur. Legenda haec eodem quo vita S. Emerici ducis tempore, vel certe non multo post edita fuerit.

Scriptorem in Hungaria et quidem Albae Regiae commoratum, linguaeque popularis non ignarum fuisse indicant ea, quae de ecclesia a S. rege ibi constructa, eiusdem thesauris, de significatione denique vocis albus §. 6-o disserit.[3])

---

[1]) „S. Stephani regis vitam actusque sicut fideli et veraci relatione tunc temporis inventum (vir doctus Wattenbach felici coniectura „viventum" reponit) accepimus, dignum et honorificum duximus posteritati transmittere — Scriptor — quae a fidelibus auditu didicit, recitat."

[2]) „Quia Stephani primi regis nostri gesta sunt inenarrabilia, nec nostri ingenii congruit parvitati, iustius et utilius visum fuit, quatenus filii eius B. Emerici, pro modulo nostrae possibilitatis edisseramus insignia." Leg. B. Emerici. praef. Vide Leg. min. 2.

[3]) „In Alba civitate, quae ob specialitatem nobilitatis suae nomen accepit." Vox albus locis et personis addita praestantiam denotat. „Dux Arpad — sepultus est supra caput unius parvi fluminis — ubi etiam post conversionem hungarorum aedificata est ecclesia, quae vocatur alba sub honore S. Mariae Virginis." Anon. c. 52. „Urbs regia et egregia Alba nomine (Bialogrod)." Chron. Polon. Pertz. SS. IX. p. 453. Belegrada vocabatur etiam Alba Hungarorum: „In episcopatu Vesprimiensi ecclesia S. Stephani regis apud castrum Belegrade unam marcam auri, quae est hospitale." Liber censuum Rom. sedis a Cencio Camerar. C. D. II. p. 282. Andreas I. rex albus. „Iste quidem rex albus Andreas et catholicus est vocatus. Chr. P. Vindob. c. 49. p. XLIX. Gener etiam Belae I. regis albus Udalricus marchio. Hartv. §. 25.

Quod gentem Hungarorum barbaricam appellat (§. 3.), id auctor non ad mores, sed ad cultum superstitiosum retulisse videtur. Sic Albricus in praefatione ad leges Colomanni regis: „Cum tempore predicti patris (S. Stephani) universum regnum eius barbaricis serviret cultibus.“ Denique nihil in hoc opusculo occurrit, quod cum aevo Colomanni Hungariae regis conciliari non possit.

AETAS (2.) LEGENDAE MAIORIS.

Legendae maioris scriptorem dimidio fere seculo recentiorem fuisse arguunt stilus et narrationes rerum gestarum. Auditune didicerit ea quae narrat, an e scriptis hauserit commentariis incertum est: fontes enim suos non indicat. Semel tantum oculatum se testem fuisse innuit, cum basilicae Albensis thesauros enumerat. (§. 11.)

Quod ad stilum attinet notam temporis praebent 1. Mons sacer Pannoniae. 2. Alba transilvana.

Prima nota temporis est sacer mons (§. 8.), ubi monasterium S. Martini construitur. Duos testes habemus seculi undecimi, et duodecimi ineuntis, qui montem hunc sanctum appellant, qui sacrum ante medium seculi 12-i neminem.

In praefatione ad decretum S. Ladislai secundum: „Temporibus piissimi regis Ladislai omnes nos optimates in monte sancto fecimus conventus.“ Apud biographum S. Emerici mons hic iterato sanctus vocatur: „Cum beatus rex Stephanus ad ecclesiam beati Martini, quam ipse in sancto monte Pannoniae inchoaverat, causa orationis advenit. — Paucis vero diebus interpositis, ex quo de sancto monte abscesserat.“ §. 3, 4. Eadem repetit Pelbartus n. 3. „Quodam tempore beatus rex Stephanus ad ecclesiam S. Martini, quam ipse in monte sancto fundaverat — causa orationis advenit.“

Primam sacri montis mentionem habemus in apographo fundationis monasterii de Quizin anni 1157; ubi legitur quidem linea 7-a sacro: („Monasterium in loco solitario qui dicitur Quizun edificaui quod) Monasterio sancti Martini in sacro monte Pannonie — — in obedienciam tradidi.“ Sed error fuerit oscitantis scribae, nam in fine apographi huius, testes consonantiam cum autographo adfirmantes sancto scribunt. „Nos, scilicet abbas de ferreo monte,

et abbas de Apries, (in perigraphe sigilli pendentis: Abb. de Eperi — —) et Ubaldus Prepositus sancti Thome et custos Strigoniensis ecclesie, et Pousa comes accedentes ad ecclesiam beati Martini de sancto monte pannonie vidimus autenticum istius transcripti, et nobis presentibus abbas et conuentus eiusdem ecclesie publicari fecerunt, et nichil amplius in eo continebatur, quam in transcripto. Et ut fides sibi possit (et que) at adhiberi, nos sigillis nostris roborauimus." Sigilla quatuor e corrigia dependent. Clausula haec nec in Codice diplomatico (II. 146.) nec in „Monumentis historiae Hungaricae" (VI. 64.) reperitur; nunc primum, quod sciamus, typis vulgatur.

Mons sacer posthac passim in usu. In apographo privilegii Belae III. anni 1192. „super salibus monasterio S. Mart. de sacro monte Pannoniae" debitis. (lin 7. in libro dicto rubro). „Ego Uros dictus Abbas S. Martini de sacro monte Pannoniae." 1226. Monum. VI. 215.

Vergentis porro seculi duodecimi signum est transilvanus pro ultrasilvanus. „Ad Albam transsyluanam precepit festinare." §. 14.

Monumenta domestica seculorum undecimi et duodecimi ineuntis in appellativis locorum praepositionem ultra praeferunt, praepositioni trans. Sic ultra montes — silvas — mare.

Sunt qui putent cum doctissimo Pray, vocabula ultra vel trans silvas in chartis domesticis promiscue usurpari, nec tempus, quo transilvanus in usu esse coeperit certo posse definiri. Non admodum repugnamus, si ex solis apographis, vel chartis typo expressis, mendisque scatentibus iudicium fiat. Secus rem se habere sentiet, qui ipsa autographa genuina inspexerit. Sic, ut cetera huiusmodi praetermittamus, in charta Belae III-i regis nota temporis carente sed in Codice nostro diplomatico anno 1183. adscripta: „Gallus comes Albensis transilvanus legitur (II. 203.) qui in autographo (linea 12-a) ultrasilvanus est.

Regio illa olim ulteriora, ultra silvam, partes ultrasilvanae vocabatur.

Prima regionis huius mentio occurrit in charta fundationis monasterii S. Benedicti de Gron, anno 1075. Ubi transumtum Andreae II-i anni 1217 lin. 55 -56: „In his hereditatibus — quibus

predictum S. Benedicti monasterium dotare potui — nulli omnino hominum aliquod ius vel utilitatem aliquam percipiendi nisi ipsi monasterio et suo abbati reliqui. Ultra silvam ad castrum quod vocatur Turda dedi tributum salinarum." In Codice nostro diplomatico I. 437. locus hic depravatus est. Praemissis enim: „nulli omnino hominum — nisi ipsi monasterio et suo abbati reliqui" — subiungitur sine distinctione aliqua: ultra, et silvam ad castrum quod vocatur Turda dedi."

Seculo duodecimo in charta monasterii de Zobor occurrunt: „Simon episcopus ultrasilvanus, et Mercurius princeps ultrasilvanus." C. D. II. 42. ad annum 1103. Legenda minor ulteriora memorat: „Dic tribuno plebis in ulterioribus moranti, ut se praevideat." §. 7. Fundatio praeposituræ demesiensis: „In ultrasilvanis partibus sunt mansiones, quae sal dare debent." 1138. C. D. II. 104. „Walterus ultrasilvanus episcopus." 1156. C. D. II. 142. „Wulcina episcopus ultrasilvanus," annis 1166. 1167. C. D. II. 179.

In apographis annorum 1176 et 1177 „Capitulum ecclesiae transilvaniensis — Nicolaus woyuoda transilvanus — Wlcina episcopus transilvanus" occurrunt, sed non carent interpolationis suspicione. Monum. Hist. Hun. VI. 73. C. D. II. 142. Chartae etiam annorum 1190 et 1193, ubi Adrianus episcopus transilvaniensis et transilvanus legitur, negligentia scribarum, qui eas annis 1404 et 1464 transcripserunt, fuerint depravatae. Nam Catapanus cancellarius, qui eas chartas confecit, in autographo anni 1192. Adrianum hunc ultrasilvanum appellat. In metalibus anni 1197: „Universae possessiones, quas ecclesia b. Martini de Orod habet ultra silvas — praesentis paginae testimonio dignum duximus corroborare." Chronicon etiam pictum Vindobonense: „b. Stephanus — bellum gessit — contra Gyulam, qui tunc temporis totius ultra silvam regni gubernacula possidebat." C. 37. p. XXXIV. Chronicon Budense locum hunc interpolat: „qui tunc totius transilvani regni gubernacula possidebat."

Primus qui Adrianum episcopum transilvanum appellat, est Desiderius praepositus Cibiniensis, suscessor in cancellarii officio Catapanis, iam episcopi Agriensis in chartis annorum 1201 et 1202

(C. D. II. 384 et 392 autogr. lin. 12 et 17.); siquidem genuina sint: nam in metalibus eiusdem anni 1201 idem Desiderius Adrianum, quemadmodum antecessor eius Catapanus ultrasilvanum vocat. C. D. II. 387. Andreas certe II. anno 1219 veteri locutione utitur: „Cum enim nos — ultra mare in subsidium terrae sanctae fuissemus profecti — eisdem Canonicis in ultrasilvanis partibus dedimus quandam terram quae Winch vocatur. — Wilhelmo ultrasilvaniensi episcopo.“ C. D. III. 1. 272. Leguntur porro in eiusdem regis chartis: „ultramarinae partes“ 1222. III. 1. 414. „ultra montes nivium.“ 1225. III. 2. 44. Rogerius anno 1242 adhuc regionem ultra silvas et episcopum ultrasilvanum nominat. Endl. Mon. 276. 293.

Circa medium seculum decimum tertium praevaluit usus praepositionis trans ante silvam. Iam Stephanus rex iunior semper dux transilvanus, nec capitulum dioecesis illius se aliter quam „ecclesiae Albensis transilvanae“ appellat. Adhuc seculo XIII-o exeunte Andreas rex huius nominis III. regnum quidem transilvanie, villam tamen liberam Turutzko „in partibus ultrasilvanis sitam“ esse scribit. 1291. Endl. Mon. 617. 620. Recte animadvertit seculo proxime elapso doctus vir Iosephus Benkő: „Nomen Transilvania in aula regum Hungariae natum est, ac omnium primum aetate Andreae II-i et Belae IV-i regum ita dici, scribique occepit. Transsilv. P. I. T. 1. p. 3.

Aetas igitur huius legendae a parte superiore medium, ut videtur seculum duodecimum non excedit: a parte vero inferiore definit eam „quintus post patris obitum annus, quo dilectus deo Stephanus rex appellatur, et diademate regalis dignitatis feliciter coronatur.“ (§. 9.)

Geiza pater sancti regis obiit post martyrium Adalberti anno 997; anno 1001 coeperat annus a morte eius quintus. Coronatio igitur ex opinione auctoris evenit anno 1001.

At anno 1213-o Andreas II. transcribit et sigillo suo duplici confirmat diploma S. Stephani datum anno 1001; hocque „ad petitionem Orez abbatis de monte S. Martini in Pannonia, — ne inimicae vetustatis succumberet silentio, vel aliqua calumpnia emergente deperiret.“ C. D. III. 1. p. 147. Privilegium porro hoc, tunc

primum in lucem prolatum anno 1001 Indictione XV-a mense Septembri incipiente numerat annum „Stephani primi regis secundum.“ Coronatio ergo, teste ipso rege contigit anno millesimo.

Si igitur Legenda maior post hunc annum 1213 exstitisset, auctor testem omni exceptione maiorem secutus, non quintum ab obitu patris, sed quartum certe annum posuisset.

Hic iterato monemus tirones, caute utendum ad probationes diplomaticas chartis typis expressis. Nam in hoc primo chartae anni 1001, transumto in subscriptionibus, Willelmus transilvaniensem legitur ecclesiam gubernans; (C. D. III. 1. p. 148.) quae ecclesia in autographi linea 31-a ultrasilvana scribitur.

Aetatem porro auctoris satis longo, a temporibus Colomanni Hungariae regis, distare intervallo, indicat commentum baptismi infanti Stephano collati. Nam postquam auctor adventum Adalberti episcopi in Hungariam, eiusque in convertendis infidelibus navatam operam commemorasset, subiicit: „Nascitur interea predictus a domino principis filius, — hunc Adalbertus crismali baptismate secundum credulitatis suae veritatem intinxit, — crevit infans etc.“ Ubi pace docti viri historicorum nostrorum principis Stephani Katona dixerim, „credulitatis suae veritas“ non ad Stephanum, sed ad Geizam, qui somnio suo prophetico fidem habuerat, videtur esse referenda. Constat vero scriptorum aetate suppariam testimonio, Stephanum baptismum suscepisse tempore initi cum Gisela christiano ritu matrimonii, circa annum 995, quo Adalbertus secundo Romam profectus est, nec amplius iter in, vel per Hungariam fecit. Tempore autem Colomanni regis initio seculi duodecimi, superesse adhuc poterant septuagenarii, qui sanctum regem vidissent. Ab oculatis certe testibus edocti, de baptismi eius tempore auctori nostro vera referre potuissent

Hic subnectenda videntur nonnulla, quae in epistolis pontificum illorum temporum notavimus, et quibus similia in hac quoque Legenda occurrunt.

Innocentius III. ad Emericum regem anno 1202. „Nos — qui honorem tuum paterna caritate diligimus, regiae serenitati de puro corde, et conscientia bona, et fide non ficta consulimus.“ C. D. II. 394. — Leg. mai. 4. Gregorius IX. ad Colomannum

Galliciae regem, an. 1239. „Deus illo personam tuam est virtutum dono dignatus dotare, quibus post terrenae coronam potentiae coelestis regni gaudia promerereris." C. D. IV. 1. 176. = Leg. mai. §. 3. Epistola Lucii II. pontificis ad Conradum III-um anno 1144: „Lucius episcopus etc. charissimo filio Conrado Rom. regi illustri salutem et apostolicam benedictionem. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum." Pistor. SS. rer. Germ. III. 183.

Sic incipit epistola etiam Lucii III-i institutum Crucigerorum militiae Templi confirmantis, „Lucius episcopus — Arnoldo magistro religiosae militiae templi quod Ierosolymis situm est, eiusque fratribus etc. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio. Proinde dilecti in domino filii etc." 1183. C. D. II. 210. Eadem leguntur initio vitae Heriberti archiepiscopi Coloniensis anno circiter 1050 editae: „Matri aecclesiarum sanctae Romanae aecclesiae et in universo orbe terrarum universis filiis universalis aecclesiae metropolis Agrippina Colonia: Omne datum optimum, et omne donum perfectum a patre luminum." Pertz. SS. IV. 740. Locutio haec biblica scriptoribus vitae sanctorum seculo etiam subsequente satis usitata. Sic in prologo ad vitam S. Zitae virginis Lucensis († 1272): „Scripturus vitam et gesta ipsius, habitatorem eius invoco Spiritum sanctum — a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum." Acta SS. April. III. p. 479. Nec praetereunda est scriptio Georii = Georgii (§. 6.) Eadem lectio occurrit in Translatione S. Udalrici per episcopum Hartwigum anno 1183. facta: „Vocato praeposito S. Georii et aliis religiosis etc." Pertz. SS. IV. 428.

Digna denique observatione est phrasis chartae anni 1157 supra laudatae: „Monasterium aedificavi quod — monasterio S. Martini in sacro monte Pannoniae ob reuerentiam et sanctitatem ipsium loci (propter reuerentiam et sanctitatem ipsius loci. Dipl. a. 1001. lin. 19.) et propter Beati Martini patrocinium, cuius nativitate in eodem loco habita Pannonia gloriatur." Similia leguntur in Leg. mai. §. 8-o „Et quoniam Pannonia beati pontificis Martini nativitate gloriatur."

Ex his verisimile fit Legendam maiorem non ante 1157, nec post 1213; sed intra hos quinquaginta annos conscriptam fuisse.

II. DE FIDE UTRIUSQUE LEGENDAE.

Quod ad fidem horum codicum attinet, consideranda sunt: 1. Propria Legendae minoris. 2. Utrique communia. 3. Propria Legendae maioris.

1. PROPRIA LEGENDAE MINORIS.

Pater Stephani Geiza „evangelicam institutionem secutus, ad imaginem veritatis pervenit“ (§. 3.) Confirmatur scriptorum aetate aequalium testimonio. „Non tacendum quod iuxta positis Ungariis — ab errore suo parum mutatis umbram Christianitatis impressit.“ Vita S. Adalberti. Pertz. SS. V. 118. „Hic (Deuuix pater Stephani) Deo omnipotenti variisque deorum illusionibus immolans, cum ab antistite suo ob hoc accusaretur, divitem se, et ad haec facienda satis potentem affirmavit.“ Thietmar. Pertz. SS III. 862. Eadem religionis christianae cum superstitione pagana consociatio fuerat seculo decimo apud Danos. „Anno Ottonis I-i 29-o (966) Danis qui Christum et idola simul colebant, cum Popone clerico in convivio de Dei et deorum cultu altercantibus, et Danis asserentibus, Iesum Christum esse quidem Deum, deos vero alios maiores et antiquiores illo esse: Popone vero e contra affirmante, Iesum Christum solum Deum esse etc.“ M Chron. Belg. Pistor. SS. III. 84.

Uxorem Stephanus vivo patre duxerat. (§. 3.) Quod „adhuc puer et pueritiae annis florens in regni solium provehitur.“ non excludit nuptias praecessisse. Ex usu linguae latinae tam prioris, quam sequioris aevi, verbo puer non solum impubes, sed etiam vir intra annos triginta solet designari. Caesar Octavianus annum agens vigesimum puer dicitur. „Ne adolescentem, vel puerum potius Caesarem iudices temere fecisse, qui tantam causam publicam privato consilio susceperit.“ Cicero. Fam. 9. 7. „Consules egregii, praeclarus Brutus, egregius puer Caesar.“ Idem. Fam. 10. 28. Imo post initum etiam triumviratum decreto Senatus opus erat, ne Caesar porro etiam puer vocaretur. Servius ad Virgilii Eclogam 1. v. 43.

Hic illum vidi iuvenem Meliboee. „Caesarem dicit Octavianum Augustum. Decreverat enim Senatus, ne quis eum puerum diceret, ne maiestas tanti imperii minueretur.“ Cicero Romam reversurus Ciliciae provinciae praeficit C. Coelium quaestorem suum. „Provinciae praefecimus Coelium. Puerum, inquis, et fortasse fatuum; — assentior. Praeter fratrem nemo erat, quem sine contumelia quaestori anteferrem.“ Cic. Att. 6. 6. „Ego de provincia decedens quaestorem Coelium praeposui provinciae. Puerum inquies. At quaestorem.“ Fam. 2. 15. Quem diserte aetatis gradum quaesturae lex Villia annalis decreverit, obscurum est. Cicero certe, qui gloriatur omnes magistratus suo anno iniisse, quaesturam gessit annum agens 31-um. Iulius Caesar, qui aedilitatem et praeturam ante legitimam aetatem gessit, quaesturam ante annum aetatis 31-um U. C. 686. adipisci non potuit. Nec puer iste Coelius minor natu fuerit.

Seculo etiam post Christum natum quinto idem usus viguit. Honorius Augustus duos et viginti annos natus a Paullino Nolano puer appellatur: „Mactatis pariter cum rege prophano Hostibus, Augusti pueri victoria pacem Reddidit.“ Natali decimotertio, post victum Radagaisum, anno 406. Eodem Natali pueri dicuntur Apronianus et Pinianus: „Apronianus Turciae gentis decus Aetate puer sensibus carnis senex. Huic propinquat socius aequali iugo Aevo minor Pinianus et ipse prisco sanguine illustris puer.“ Muratorius in praefatione ad editionem Veronensem anni 1735, demonstrat, anno 406, quo natalis hic sermo pronunciatus est, Pinianum, Aproniano iuniorem, annum vitae trigesimum excessisse. Usus hic vocis puer apud scriptores etiam chronicorum usque ad seculum decimum quartum reperitur. Chronicon Pictum Vindobonense anno 1308. Carolum regem puerum appellat annos natum viginti. „Dum igitur puer Karolus in Hungaria moraretur, Frater Gentilis Cardinalis anno Domini 1308. Pannoniam intravit.“ Cap. 95. p. CX. Aetatem huius regis ex ipso Chronico definimus. „Quorum instantiam Papa admittens, quendam puerum XI annorum nomine Karulum anno Domini 1299 vivente adhuc Andrea rege in Hungariam destinavit.“ C. 89. p. CVI. Anno ergo 1288 natus, tempore adventus Gentilis Cardinalis annum agebat aetatis vigesimum. Ipse etiam rex Stephanus cum se victoriam de rebellibus in pueritia sua (Priv. lin. 7-a) retulisse scribit, virilem

aetatem innuere videtur. Nam „monasterium pro stabilitate regni ad finem perducere“ (lin. 4—5); accingi gladio ad amnem Goron, (Chron. P. Vind. C. 36. p. XXXIII.) sunt res, quae non puerum, sed virum deceant.

Propria porro Legendae minoris sunt: sexaginta viri Bissenorum, a latronibus in Hungaria spoliati; et coniuratio quatuor palatinorum de interficiendo rege. Latrones lata sententia suspendio pereunt. Coniurati oculis et manibus privantur. Severitas poenarum latronibus his atque coniuratis inflictarum eadem est, qua leges sancti regis II. 6, 7, 12, 13, 51 et 53 in fures homicidas percussores et perduelles animadvertunt, nec abhorret ab iis, quae de moribus sancti regis apud alios scriptores leguntur.

Descriptio denique „elevationis“ sancti regis post triduanum ieiunium, pro consvetudine aevi illius satis accurata est. Simili modo facta fuerat „elevatio“ S. Wicterpi per Heinricum Augustensem episcopum (973—982). „Heinricus Augustensis episcopus indicens triduanum ieiunium, congregavit maximam multitudinem clericorum monachorum et laicorum, et veniens Eptati (Eppach) cum crucibus reliquiisque sanctorum aperuit beati pontificis Wicterpi sepulcrum etc.“ Elevatio haec et translatio per episcopum facta constituit „canonizationem“ sic dictam, antequam pontifex romanus omne ius in album sanctorum quemquam referendi sibi soli attribuisset. „Itaque sanctorum numero sociatus beatus praesul Wicterpus, utpote sub altari, secundum apocalypsin b. Ioannis euangelistae, martyrum Christi collocatus etc.“ Pauli Bernriedensis Vita S. Herlucae. Pertz. SS. IV. 427.

2. UTRIQUE LEGENDAE COMMUNIA.

Minoris vitae scriptor, in rebus, quas a synchronis scriptoribus praetermissas cum Legenda maiori communes habet, ut stilo brevior, ita pro aetatis propinquitate, fide dignior esse videtur.

Confecto bello civili, rex spolia rebellium S. Martino consecrat, ecclesiam eiusdem S. Confessoris titulo construit, et tam hostes e clade superstites, quam posteros eorum „servos ecclesiae (usque ad praesentem diem) instituit.“ Precibus tantum procerum exoratus,

servitutem in decimationem commutat. (§. 5.) Voces uncis inclusae adsunt quidem in manuscriptis codicibus, sed negligentia auctoris, vel oscitantia scribae non sunt deletae. Servitus enim tantum aberat, ut usque ad seculum duodecimum perduraret, ut statim ab ipso rege relaxata fuerit „ne afflicti disperderentur a terra.“ Privilegium certe anni 1001. de decimis solum agit, nulla servitutis mentione.

Similia narrantur in Legenda maiore. Victoria de rebellibus b. Martini precibus adscribitur, ecclesia huius sancti titulo construitur, et „domitorum decimationibus“ ditatur. Dissident tamen de tempore, quo monasterium hoc constructum fuerit. Legenda minor statim post relatam victoriam ponit aedificationem basilicae, et adsignationem decimarum. Postea narrat, quomodo confluxerint „multi ex diversis mundi partibus, audientes de doctrina eius.“ (§. 6.) Maior, post confectum civile bellum nihil, nisi devictos hostes regi servire, baptismum et sacerdotes suscipere coactos commemorat. Subiungit deinde (§. 7.) abbates et monachos „ex omnibus partibus“ ad se vocatos, inter quos „patrem Ascricum cum suis discipulis“ abbatem factum monasterii S. Benedicti ad radicem montis ferrei. Porro institutionem episcopatuum et archiepiscopatus (§. 8.) quem Ascricus obtinuerit, cuius consilio denique construitur monasterium S. Martini in monte sacro. Senserat iam Legendarum S. regis consarcinator Hartvicus hanc differentiam, et magis credendum censens Legendae minori, narrationem maioris e §. 8-o reposuit in 6-um, substituitque verbis de constructione basilicae S. Martini, Legendae minoris.

Dissentit non parum ab his ipse sanctus rex in privilegio anni 1001. tam quod ad aedificatorem quam quod ad tempus exstructionis attinet. Monasterium hoc „a genitore eius inceptum (l. 4.) ad finem ipse perduxerat,“ (l. 5.) et erumpente bello civili iam incolebatur; „quia propter orationes sanctas Anastasii abbatis et fratrum eiusdem monasterii“ scribit se victoriam de hostibus retulisse. (l. 6.) „Necdum enim episcopatus et abbatiae praeter ipsum locum in regno ungarico sitae erant.“ (l. 13.)

Haec conciliari cum narratione Legendae maioris nullo modo possunt. Nam coenobium ad radicem montis ferrei, et institutio decem episcopatuum antecedunt fundationem in monte sacro. Cum Legenda minore, per Geizam incipientem, et Stephanum summam aedi-

ficio manum imponentem, posset quidem argutando consensus aliquis extorqueri, nisi illi vetus auctor Legendae S. Emerici auxilio adesset scribens: Cum beatus rex Stephanus ad ecclesiam b. Martini, quam ipse in sancto monte Pannoniae inchoaverat, et egregia monachorum congregatione decoraverat, una cum filio orationis causa advenit. (C. 3.)

Decimas s. rex non solum ab illis, qui in bello contra eum steterunt et victi sunt „posterisque eorum"; (Leg. min.) non solum a „domitis"; sed ex toto Comitatu Sumigiense (l. 8.) exigendas praecipit. Sed hic conciliatio facilis. Sicut enim omnes eius comitatus incolae rebellaverant; („volente comitatu paterna me sede repellere." (l. 8.) ita omnes meritas poenas dare debebant.

Ex collatione harum de conditore et tempore exstructionis monasterii in monte sacro narrationum nihil certi statui posse ingenue fatemur. Res diligentiori inquisitione digna peculiarem dissertationem postulare videtur.

De ecclesia Romae titulo S. Stephani protomartyris aedificata, ambae consentiunt; non vero de monasterio per Stephanum Ierosolymis fundato. Biographus prior moniales (§. 6.); posterior monachos scribit istic constitutos fuisse. Neutrius fides in hac re satis firma. Liquido enim constat, per negotiatores Amalphitanos, vivo rege Stephano, licentia aedificandi a Chalifa accepta, monasteria tam monachorum quam monialium Ierosolymis exstructa fuisse. „Viri quidam Italici de Malpha civitate, quae posita est inter Neapolim Vergilianam et Salernum, maritimas civitates, cum propter mercimonia quae deferebant in Ierosolymam, apud infideles gratiam invenissent, dum adhuc Caliphas Aegyptius in civitate dominaretur, de construendo sibi in ea domicilio Caliphae praedicti mandatum impetrant, et secus ecclesiam dominicae resurrectionis erigunt habitationem, et monasterium monachorum in honorem Dei genitricis et virginis Mariae; et simul in honorem beatae Mariae Magdalenae monasterium feminarum, sub praedictorum providentia monachorum. Ab his etiam aedificatum est xenodochium, propter affluxum ad loca sancta pauperum peregrinorum." Ex Alberico monacho Trium fontium. Mag. Chron. Belg. Pistor. III. 154. Gesta haec sunt annis 1022. et sequentibus. Huic monasterio et Xenodochio originem suam

debet insignis Ordo, equestris qui usque in praesentem diem persistit et floret, Hospitalariorum. Hungari non videntur proprium habuisse Ierosolymis hospitium usque ad medium seculum duodecimum. Anno enim 1135. Petronilla mulier hungarica „hospitalem domum“ emit Ierosolymis pro peregrinis suae gentis. „Domum — Petronillae mulieri Ungaricae vendiderunt in hospitalem domum suae genti.“ 1135. Monum. Hist. Hung. VI. 52. Geiza postea II. ecclesiam et xenodochium istic construxit. „Urbanus episcopus etc. dilectis filiis Nicolao magistro domus hospitalis S. Stephani regis sitae Strigonii, fratribusque ibi praesentibus aut futuris etc. Sane cum recolendae memoriae Geysa quondam rex hungarorum Hierosolymis, sicut in eius scripto authentico continetur, ecclesiam in honorem Dei et memoriam beatae Mariae semper virginis matris suae, ac S Stephani regis fecisset, de suis et suorum principum eleemosynis pietatis intuitu construi, et domum etiam hospitalem, in qua peregrini et alii transeuntes propter Deum subsidia reciperent charitatis etc.“ 1262. C. D. IV. 3. 81

Mirum, nusquam, nisi in his Legendis S. regis Stephani, sive monasterium exstruentis, sive alios in pio hoc opere adiuvantis mentionem fieri.

Quod ad fundationes romanas attinet, biographus prior ecclesiae tantum S. Stephani, et domuum villarum et possessionum „quae ad sumtus ministrorum ecclesiae pertinent“ meminit, et „facultatum multarum, quas per quosdam familiarium suorum“ sanctus rex Romam miserit. Posterior biographus uberiorem eius rei notitiam videtur habuisse; memorat enim congregationem duodecim canonicorum, domus, homines, hospitia „ungarorum, orationis causa beati principis Apostolorum Petri limina quaerentium.“ Sumtus pius rex ad ecclesiam construendam per Astricum et socios miserit; ceteras fundationes ipse in peregrinatione romana perfecerit. Servata est memoria peregrinationis huius in Chronico Picto Vindobonensi: „Coepit in medio civitatis (Budensis) aedificare grande coenobium in honore apostolorum Petri et Pauli, ditando illud multis praediis, et simili libertate romanae ecclesiae fulciendo, quam corporaliter visitavit.“ C. 39. p. XXXV. Ranzanus novit etiam annum aetatis, quo pius rex iter istud ingressus est. „Agens aetatis annum tertium et tri-

gesimum urbem Romam petivit.“ Indice VIII-o. Inchoffer in Annalibus suis ecclesiasticis, nescio cuius testimonio fretus, annum hunc aetatis incidisse putat in annum Christi 1007.

Reges olim nationum ad fidem Christi recens conversarum scholas fundabant Romae, ubi populares in fide catholica erudirentur. Scholae hae successu temporis in xenodochia convertebantur. Anastasius bibliothecarius de reditu Leonis III-i pontificis in urbem: „Sub adventum, simul etiam et cunctae Scholae peregrinorum, videlicet Francorum, Frisonum, Saxonum atque Longobardorum simul omnes connexi ad pontem Milvium cum signis et bandis et canticis spiritualibus (Leonem papam) susceperunt, et in ecclesiam beati Petri apostoli deduxerunt.“ Apud Baron. ad ann. 799. n 7. De Anglis scriptor domesticus. „Ina rex (Merciorum) Romae facit domum, quam scholam Anglorum appellari fecit, in qua erudirentur populares in fide catholica. Eique in singulis regni sui familiis unum denarium annuo censu pendi communi decreto praecepit. Quae scholae propter peregrinorum confluxum ibidem solatia suscipientium, versa est in xenodochium, quod S. Spiritus dicitur.“ Matthaeus Paris, in vita Willegodi primi abbatis S. Albani.

De fatis huius ecclesiae a Stephano Romae extructae scribit Mancini: „Idem sanctissimus princeps aliam Romae exstruxit ecclesiam, quam collegiatam fecit, dedicandamque curavit eidem S. Stephano protomartyri, cui erat devotissimus. Hanc admodum probabiliter omnes scriptores ecclesiastici, qui de rebus Romanis agunt, credunt esse ecclesiam nunc parochialem, dictam hodie S. Stephani in Piscina. Conversa est haec ecclesia in parochiam anno 1497. translataque est fundatio in collegium Hungarorum in monte Coelio, quod postremo cum Germanico unitum usque ad praesentem diem perstat. Ne autem pereat memoria cultus debiti gloriosis sanctis Stephano protomartyri et Stephano regi Hungariae de sancta sede apostolica tam bene meriti, eunt iidem alumni collegii Germanici ad montem coelium die 3-a Augusti Inventionis S. Stephani, ut officium ibidem peragant; et die 20-a eiusdem mensis qui praedicto sancto regi sacer est, ad ipsius ecclesiam S. Petro vicinam. Distinctum erat hospitale a collegio canonicorum. Illud inscriptionem exhibuisse legitur:

DOMVS VNGARORVM RENOVATA PER D. PHILIPVM. DE BODRAG SER. D. VLADISLAI REGIS PROC. EX ELEEMOSYNIS. PEREGRINORVM SEDENTE ALEXANDRO P. VI. 1497. Huic vero iuncta ecclesia. ECCLESIA HOSPITALIS S. STEPHANI REGIS VNGARORVM. Antonius Mancini. Vita S. Stephani. p. 26.

Narratio Legendae minoris de tumultu bissenico (§. 7.) eo praecipue differt a relatione maioris Legendae (§. 14.), quod ibi nostri proelio commisso hostes caedunt et fugant; hic homines solum „per receptacula munitionum“ servantur; res eorum diripiuntur ab hostibus. Verisimile est rem ita gestam fuisse, ut ex „relatione tunc temporis inventum“ vetustior Legenda exponit.

De basilica Albensi et eius thesauris; de repentinis item morborum ad sepulcrum regis curationibus, elevationeque corporis rege Ladislao et synodo episcoporum iubente, ambo eadem, vel similia referunt.

Accurata est etiam chronotaxis horum codicum. Mortem sancti regis ambo ad annum 1038 referunt (§. 10. et 15); quod testimonio scriptorum aetate aequalium Wipponis et Herimanni Augiensis confirmatur. Error biographi prioris in „Heinrico romanorum augusto,“ qui iam 1024 decesserat. Anno 1038 Conradus imperabat († 1039. Pridie Non. Jun.) Filius tamen huius Heinricus electus et coronatus rex anno 1028. augustus quodam modo dici poterat.

3. PROPRIA LEGENDAE MAIORIS.

Geizam principem quintum dicit „ab illo qui ingressionis Ungarorum in Pannonia dux primus fuit.“ (§. 2.) Eo igitur tempore quo haec scripta sunt, nondum Arpad, verum Almus existimabatur fuisse auctor et conditor familiae regum Hungaricorum primae stirpis. Primus nempe Almus. 2. Arpad. 3. Zulta. 4. Toxun. 5. Geiza. Cum scriptore nostro faciunt Anonymus Belae regis notarius, et duo ex chronicis minoribus.

Albericus monachus Trium fontium medio seculo decimo tertio pleniorem ducum istorum notitiam habuisse videtur. Stephanum enim regem scribit a primo fuisse septimum. „Anno 1041 Ungaris regnavit Petrus annis duobus. Sanctus rex de Ungaria Stephanus primus christianus, Iechae filius, et a primo duce Almo septimus filium habuit unicum, nomine Henricum, qui vivente patre decessit.“

Apud Leibnitz, Access. Hist. II. p. 72. Secundum hunc scriptorem Geiza dux non quintus, sed sextus. Et fulcitur series haec testimonio Constantini Porphyrogeniti imperatoris Byzantini priorum gentis Hungaricae ducum aequalis, qui ante quartum principem Toxun ponit Phalitzim, ex filio Arpadis tertio Iutotza natum: „Arpadis tertius Iutotzas filium suscepit Phalitzim, qui nunc principatum tenet (anno 950).“ De admin. Imp. c. 40. Series itaque ducum sic restituenda: 1. Almus. 2. Arpad. 3. Zulta. 4. Phalitzis. 5. Toxun. 6. Geiza. 7. Stephanus.

Praepostere narrat biographus noster infantem Stephanum baptizatum (§. 5.), nuptias vero post coronationem celebratas. (§. 10.) Habemus enim scriptores aetate aequales vel suppares, qui baptismum et nuptias regis eodem fere tempore contigisse memorant. Fusius haec in disquisitione historica de aetate baptismo et nuptiis sancti regis.

Quod Adalbertus episcopus in baptismo susceptor etiam illius fuerit, non caret exemplis illustribus regum ducum et imperatorum. Pipini Francorum regis „sanctissimus vir patrinus, seu spiritualis pater Wilibrordus.“ Calmet. Hist. Lotharin. I. p. 273. Pipinum filium Caroli Magni Adrianus I. papa „baptizavit et a sacro fonte suscepit.“ Annal. Hildesh. „Filiam eius nomine Gislam baptizavit et de sacro fonte suscepit Thomas episcopus Mediolanensis.“ Annal. reg. Franc. Wolfgangus episcopus Ratisbonensis „sororem alteram (Heinrici postea regis Romanorum) quam baptizavit, et de sacro fonte suscepit, abbatissam nuncupavit.“ Vita. S. Wolfgangi. Pertz. SS. IV. p. 538. Heinrici postea regis huius nominis quarti patrinus Hugo abbas Cluniacensis. Sic enim scribit ad eum Henricus III. imperator anno 1051: „Quod ante te pro longinquitate itineris negasti potuisse venire, sicut iussimus, quamquam gratanter tuum suscepissemus adventum, eo ignoscimus tenore, ut in pascha ad nos Coloniam venias, si est fieri possibile; quatenus, si audemus dicere, eundem puerum, de quo ita laetatus es, de sacro fonte susciperes, et spiritualis pater, tuae benedictionis munere signares; hicque simul expiati fermento delictorum, paschali solennitate mereamur perfrui azymis coelestis gloriae.“ Bolland. Acta SS. April. III. in Vita Hugonis. In festis Paschae et Pentecostes de more baptizabantur

infantes illo tempore. „Utramontani Romani pontificali Stemmate fulgentes adsunt plures sapientes. Inter quos abbas Hugo Cluniacensis hic adstat, Qui pater in lavacro regis (Henrici IV-i) fuerat sacrosancto. Pacis sermones tractabant hi seniores. Donizo in vita Mathildis. II. 82—86.

Chronica nostra socium Adalberto in officio susceptoris adiungunt Deodatum de comitibus S. Severini de Apulia, qui „cum sancto Adalberto pragensi episcopo sanctum regem Stephanum baptizavit." Chron. P. Vindob. 20. p. XXV. Simon de Keza chronographus seculi decimi tertii, huius comitis inter nobiles advenas non meminit. Narratio e diplomate regis Belae IV-i sumta esse videtur. „Erat unus ex principalibus principibus tunc regni Hungariae (comes Deodatus). Qui quidem comes adiutor convertendi gentes incredulas et rebelles, fidei veritatis ac legis divinae propugnator una cum Geysa, — et ceteris nobilibus terrigenis et advenis exstitit gloriosus. Qui etiam sanctum regem Stephanum, cum S. Adalberto episcopo de fonte baptismatis sublevavit." 1263. C. D. IV. 3. 103. His duobus patrinis accedit tertius Otto imperator, qui „regem Gouz — in natali protomartyris Stephani a baptismate excepit" et verisimilius filium etiam uno eodemque tempore baptizatum. In additamentis ad Ademarum. Pertz. SS. IV. 130. Aliud exemplum duorum vel trium unius baptizati patrinorum seculo decimo nobis non occurrit.

Monasterium S. Benedicti ad radicem montis ferrei primum fuisse in Hungaria; et ei Astricum abbatem, paulo post creatum archiepiscopum praefuisse; ut biographus noster scribit, sunt res, quae conciliari vix possunt cum iis quae in privilegio S. regis anni 1001. leguntur de „monasterio supra montem Pannoniae sito a genitore eius incepto;" de Anastasio eius abbate; Dominico denique et Sebastiano archiepiscopis (lin 4, 10, 26.). Sed Astrici archiepiscopatus Strigoniensis compluribus firmatur eius aevi et subsequentium seculorum monumentis. Vide egregiam de archiepiscopo Strigoniensi dissertationem doctissimi viri Ferdinandi Knauz eruditae Societatis Hungaricae sodalis, Monumenta eccl. Strigonien. I. p. 4—43. Argumentis his accedit nunc locus rescriptus et interpolatus codicis Pestiensis. Vide specimen adnexum, ubi Hartvici prima manus eadem

de Astrici archiepiscopatu, quae Legendae maioris auctor scripserat; emendator vero colocensem episcopatum, cui Astricum praeficere conatur, nisi in margine codicis, substituere nusquam poterat. Sed non est huius loci, quaestionem diu agitatam paucis absolvere: res Colocensium pacifica sexcentorum annorum possessione firmata, uberiore disquisitione dignam materiam suppeditat. Iuvat interim de monasterio S. Benedicti ad radicem montis ferrei adnotare, illud Varadiense, vel de Waradino iam anno 1218 vulgo appellatum. Honorius III. ad episcopum Vesprimiensem: „Dilectis filiis de Waradino, de Sacsard, et de Cicador abbatibus Quinqueecclesiensis dioecesis damus literis in mandatis, ut partibus convocatis, audiant causam etc. Pontificatus nostri anno secundo.“ 1218. Monum. hist. H. 6. p. 155. Quae appellatio quia apud biographum nostrum nondum in usu, editio codicis nostri annum hunc praecesserit necesse est.

Propria Legendae maioris narratio est de pauperibus barbam regis vellentibus, et ipso gratias pro iniuria accepta agente. (§. 13.) Legitur hoc, et quae §. 14-o de aegrotis transmissi pomi medicina curatis scribuntur, in caeteris quoque codicibus Hartvicianis praeter Warsaviensem. Codex iste §. 12-o iisdem: „quadam vero nocte etc“ verbis incipit historiam de homine febre laborante, quem rex veste sua contexerit, et sanitati restituerit. Haec et talia ex aliquo codice, gesta regis continente, successu temporis deperdito, fuerint transcripta. Similia de Godehardo episcopo sancto regi aequali narrat eiusdem seculi scriptor: „Matrona quaedam, cuius filium ipse episcopus de sacro fonte suscepit, gravissimo oculorum vexabatur dolore. Quae filiolum suum ad episcopum transmisit, et aliquod medelae subsidium ab eius pietate quaesivit. — Flores quosdam rubicundos de arbore, quae lingua teutonica Spinnelbaum dicitur signo crucis munivit, et eidem puerulo dedit. Nec mora, ut ipsa nobis saepius iureiurando retulit, ut ipsos flores aegris oculis admovit, omnem illico totius infirmitatis dolorem a suo capite mirabili celeritate diffugere cognovit. — Contigit quemdam scholarem febrium molestia graviter infirmari. — At pater sanctus pomum in manu habens (quod forsan secum tulerat, aut iuxta lectum infirmi invenerat) benedixit et dedit infirmo dicens: Accipe fili et manduca pomum in nomine Iesu Christi.

Comedit ille et surrexit sanus laudans Deum." Pistor. SS. I. 495. 503.

Opinio huius biographi de decem episcopatibus a rege Stephano institutis (§. 8). parum certa nititur coniectura. Nam ut Nitriensem omittamus, quem initio seculi 12-i adhuc praeposituram fuisse constat, (Decr. Colom. 22.) inter eos 10 episcopatus connumerandus est cum Strigoniensi Vaciensis; praeter Strigoniensem vero etiam Varadiensis. Sed annales domestici illius Geizam I-um, huius S. Ladislaum conditorem fuisse perhibent.

Mentio quoque electionis canonicae, qua Astricus sedi Strigoniensi praefectus fuisse scribitur perperam facta esse videtur, si consideremus canonicorum institutionem non praecessisse erectionem episcopatus. Ceterum constat tam Maurum (Leg. S. Emer. §. 4-o) quam Gerardum („Ecce dedi tibi hodie episcopatum urbis Morisenae." Leg. S. Gerar. §. 8-o) sine alia electione, ad arbitrium S. regis factos episcopos. Nisi canonica dicatur electio actio ipsa, qua rex episcopum creat; ut in Legenda S. Gerardi: „Et deinceps vocatus est Gerhardus electus." ibid. Fugit ut videtur attentionem scriptoris „investituram episcoporum hactenus a maioribus habitam" anno demum 1106. a Colomanno rege „dimissam;" potestati vero deponendi vel transferendi episcopos, a Stephano III-o anno 1169. renunciatum fuisse. C. D. II. 45. 180.

Fabulam de nuntio divinitus misso, qui exercitum Conradi imperatoris ex Hungaria domum reverti iusserit (§. 14-o), ad oblectandos lectorum animos confictam fuisse discimus ex Wippone. Hic enim capellanus imperatoris Conradi, et Caesaris Henrici magister, bellum illud naturali rerum cursu non mutato, pace, nesciente imperatore facta, finem habuisse scribit. „Eodem tempore (1030) multae dissensiones inter gentem Pannonicam et Baioarios, culpa tamen Baioariorum factae sunt, ita ut St. rex Ungariorum multas incursiones et praedas in regno Noricorum id est Baioariorum faceret. Unde commotus imperator Chuonradus cum grandi exercitu super Ungarios venit. Rex autem St. minime sufficiens adversus imperatorem, orationibus et ieiuniis in universo regno suo indictis, praesidium Domini tantummodo flagitabat. Imperator tam munitum regnum fluviis et silvis intrare non valens, multis tamen praedationibus

incendiis, circa terminos regni, iniuriam suam satis ulciscens. reversus est. Sed filius suus rex Heinricus adhuc puerulus, Eigilberto Frisingensi episcopo creditus, legatione Stephani regis pacem rogantis accepta, unico consilio principum regni, patre nesciente, gratiam reconciliationis annuit. Iuste et sapienter agens, qui regem iniuste iniuriatum, ultro petentem gratiam. recepit in amicitiam. Pertz. SS. XI. p. 268.

Chronotaxis Legendae maioris in anno solum emortuali Geizae ducis videtur novis egere documentis. In Chronico minore Posoniensi, martyrio Adalberti recte adsignatur annus 997. Obitus Geizae transfertur in sequentem: „Anno ab incarnacione domini DCCCCXCVII. Adalbertus episcopus martirizatus est. DCCCCXCVIII. Geyza princeps ungarorum obiit.“ Endl. Mon. p. 55.

Obitum Emerici ducis (§. 15.) ad eundem annum (1031) narrant Annales Hildesheimenses. Pertz. III. 98. et adnotationes chronologicae sec. 12-i. Endl. Mon. p. 55.

Elevationem corporis S. Stephani regis quadragesimo quinto anno (§. 16.) post mortem factam fuisse (1083) Chronicon Posoniense minus testatur, „MLXXXIII. In carcere missus (Salomon), et dominus rex Stephanus et filius eius — reuelantur — et Salomon rex fugit.“ p. 56. Captivitatem Salomonis eodem anno commemorat Bernoldus Constantiensis synchronus: „1083. Salomon rex Ungarorum a compatriota suo nomine Latislao regno privatus incarceratur.“ Pertz. SS. V. 439. Chronicon quoque pictum Vindobonense: „Rex Ladislaus — cepit Salomonem et in Vyssegrad retrusit in carcerem. — Postmodum Salomon rex dimissus de carcere, in elevatione corporis sancti regis Stephani, et beati Emerici confessoris, adstitit regi paucis diebus.“ C. 62. p. LXXVII.

Ad extremum non possumus silentio praetermittere morem auctoris vel scriptoris in orthographia primi Hungarorum archiepiscopi servatum. Ascricum eum vocat, qui Aschericus scribebatur.

Prima eius mentio per archiepiscopum Brunonem in vita S. Adalberti anno 1004. ubi non Astericus legendum, quemadmodum Pertz ediderat (IV. 603.), sed e codice Königswartensi Aschericus. (Bielowsky. Mon. Pol. I. p. 205.)

Altera eius commemoratio in historia dedicationis ecclesiae S. Petri Bambergensis: „1012. II Non. Maii a quadraginta quinque episcopis eadem dedicatio hoc ordine est celebrata: — altare ante criptam consecravit Aschericus Vngarorum archiepiscopus in honore sanctorum Hylarii, Remigii, Vedasti.“ Pertz. SS. XVII. 6. 35—36.

Henricus IV. rex in diplomate anni 1074. donat episcopo Frisingensi centum mansos „ex praedio quod Salomon rex Ungarorum nostrae potestati subiugavit, in his locis sitos: Ascherichesbrugge — Nowendorf — Hasilowe — de Litaha usque ad eum locum, qui terminus est inter Litaha et Vertowe.“ Mon. hist. Hung. 6. p. 29.

In Legenda S. Adalberti bibliothecae regiae Monacensis seculo ut videtur undecimo exeunte scripta, iam medium e omittitur, manente tamen h: „Aschricumque abbatem eos ad regendum constituit.“

Est nomen in Francia usitatum: scribebaturque initio seculi decimi per k. „Ernustus notarius ad vicem Askerici episcopi (Parisiensis, Cancellarii Caroli Simplicis regis Franciae) recognovit et subscripsit.“ In diplomatis annorum 905 et 907. apud Mabill. Diplom. p. 558—9.

DISQUISITIO III.

DE CONTEXTU OPERIS HARTVICIANI.

Legenda maior multifariam interpolata; fragmenta Legendae minoris inserta; cum praefatione ad Colomannum regem, et additamentis propriis, constituunt opus illud biographicum. quod sub Hartvici vel Cartvici nomine in variis diversae editionis codicibus circumfertur. Harum editionum tres distinguimus praecipuas: 1. Codicis Warsaviensis, 2. Pestiensis, 3. Ceterorum codicum.

1. CODEX WARSAVIENSIS.

Exemplar huius Pulaviense ediderat H. Kownacki, sub titulo: „Chronicon Hungarorum mixtum et Polonorum.“ Warsoviae. 1823.

Hoc exscripsit Endlicher, editumque est in libro cui titulus: „Rerum hungaricarum monumenta Arpadiana.“ Sangalli. 1849. pp. 60—82. E correctius scripto codice Comitis Zamojski, post Ioachim Lelewel edidit iterum Aug. Bielowsky in Monumentis Poloniae historicis. 1864. Ex hac editione sumta sunt excerpta nostra.

Scriptor huius codicis opus suum in Germania vel Moravia conscripserit; nam regionem ubi Hungari ritibus christianis initiati sunt, orientalem appellat. „Huius datum optimum ad orientalem Ungarorum regionem usque diffusum est. — Crastina die ignotae gentis stirpis orientalis Hungariae nuncios ad te venturos esse cognoveris. (§. 1. 8.)

Praefatio ad Colomannum regem in his codicibus non comparet, qui post: „Vita S Stephani“ continuo subiungunt prologum: „Omne datum optimum etc.

In hoc prologo codices hi discrepant a ceteris codicibus Hartvicianis; nam pro longiori, quam S. M. et P. continent dissertatione, rem breviter perstringunt: „Huius patris datum optimum, post passionem et gloriosam resurrectionem, et ascensionem domini nostri Iesu Christi in omnes regiones large proveniens.“ etc. Ceteri vero codices Hartviciani, et longiorem illam, de ortu et progressu religionis Christianae dissertationem, et breviorem hanc mentionem passionis, resurrectionis, et ascensionis Domini omittunt.

Codices Polonici huius editionis habent nonnulla communia cum omnibus tam Legendae maioris, quam Hartvici codicibus.

1. Cum Sancrucensi et Mellicensi: His dictis quasi consolatus ab ea (ab ipsa. H.) §. 13.

2. Cum Sancrucensi contra M. et H.: Filios in ipsis infantiae suae gradibus teneros quos dedit abstulit. §. 15. (qui dedit. M. H.)

3. Cum H. contra S. M. Cunctis christianis ducatum suum intrare volentibus. §. 2. (regnum suum. S. M.) Quarto post obitum patris anno. §. 7. (quinto. S. M.)

4. Cum ceteris contra S. M. P.: Virum spirituali legatione tibi transmittendum honorificabiliter suscipito, venerabiliter habeto, exhortationibus eius etc. §. 3. (P. S. M. interserunt post „habeto“:

timore perditionis — confundit.) Bonae indolis pueri Henrici solatio. §. 15. (sanctae indolis. P. S. M.) Iudicis aeterni sensit imminere verbera. §. 25. (verba. P. S. M.) Vincula supernae caritatis diligere. §. 16. (fraternae caritatis. P. S. M.) Caritati operam dare. §. 16. (castitati op. d. P. S. M.) Construxit in civitate Ierosolimitana cenobium, quod praediis locupletavit. §. 11. (construxit — ceenob. praediis ditavit. P. S. M.)

5. Cum ceteris contra P et R. Hunc Adalbertus episcopus — intinxit et ei nomen Stephanus imposuit. §. 6. (intinxit, et susceptor eius ipse fuit, nomen sibi impositum est Stephanus. P. R.)

6. Cum R. contra ceteros. Crucem insuper ferendam regi, velut in signum apostolatus misit. §. 8. (crucem — ante regi ferendam. P. anteferendam regi. V. Cr. Co.)

7. Cum L. contra ceteros. Quoadusque ipse viveret. §. 14. (quoadusque ipse rex viveret. H.)

8. Cum V. Co. Cr. contra ceteros. Tandem — dignus centuplicari retributionis bravio. §. 16. (centuplicatae retr. br. S. H. centuplicitate. M.)

Quod ad narrationem rerum gestarum attinet plurima habet Scriptor huius cum Hartvico codicis Pestiensis communia.

1. Legendam maiorem excerpit. 2. Astricum Strigoniensem fuisse scribit, simul etiam praesulem Hungarorum. „Praesul Strigoniensis ecclesiae Astricus nomine, ad papam pervenit.“ §. 8. „Mox praesul Ungarorum Astricus — ab apostolica sede — Ungariam properavit.“ §. 8. Strigoniensem eum fuisse Legendae maioris verbis scripserat etiam prima manus codicis Pestiensis (§. 8.) 3. Ex additamentis habet sermonem S. Stephani protomartyris ad uxorem Geizae quam Athleidam appellat, §. 5. — legationem Astrici romanam §. 7. — orationem nocturnam regis sub tentorio in aëre pendente. §. 14.

D i s c r e p a t a c o d i c i b u s H a r t v i c i a n i s: 1. Legendam minorem non attingit; tumultum bissenicum e Legenda maiore transcribit. 2. Deest narratio de Sebastiano Strigoniensi archiepiscopo, et Astrico Colocensi episcopo eius vicario. 3. Habet historiam ceteris ignotam de paupere febre laborante, per sanctum regem in templo curato. (§. 12.) 4. Visionem denique episcopi Graecorum, quam Hart-

vicus e Legenda Emerici ducis excerptam, post obitum huius collocat (§. 20.), noster in sanctum regem transfert, et post exequias et sepulturam eius rem gestam uberius exponit.

Ex his concludi posse videtur, codicem Warsaviensem ante ceteros Hartvicianos exstitisse, primamque editionem collectitii huius operis fuisse. Causam tamen dubitandi dat Vincentius Kielcensis scriptor medii seculi 13-i, qui describens legationem Mesconis polonorum ducis ad Leonem papam pro obtinenda corona, testimonio utitur Annalium Polonorum et Vitae beati Stephani regis Ungarorum; nec verba quae ex his adducit, verbis nostri codicis respondent. „Invenimus in descriptionibus annalium Polonorum, et in Vita beati Stephani regis Ungarorum, quod dux Mescho factus christianus, ad dominum papam Leonem sollempnes nuncios misit, et ab eo sibi dari coronam regni Poloniae humiliter postulavit. Cumque summus pontifex suae petitioni benignum assensum praeberet, et corona iam opere miro fabricata foret; ecce ex Ungaria eodem tempore missi veniunt legati Romam, petentes suum dominum Stephanum regio diademate insigniri. Cumque in crastino nuntiis Poloniae corona dari debuisset, ut voti compotes ad dominum ducem Poloniae laeti redirent; eadem nocte angelus domini papae Leoni per visionem apparuit, et duci Poloniae coronam dari prohibuit, sed Stephano duci Ungariae fore tradendum censuit. Quare autem illi dedit, et isti prohibuit, in hiisdem habetur Cronicis: „Haec inquit gens magis diligit iniustitiam quam iustitiam; magis silvarum densitatem et ferarum venationem, quam camporum planitiem, et frugum ubertatem: magis diligit canes quam homines; vel pauperum oppressiones, quam divinas leges etc.“ quae ibi ab angelo insinuantur. Per eundem tamen angelum bona spes a domino pro restauratione regni Poloniae promittitur, eo quod ibidem legitur: „Verum tamen in fine dierum illius miserebor, et gloria regni viam illustrabo.“ Deus enim praescius futurorum, peccata vindicans parentum in tertiam et quartam generationem filiorum, ipse solus novit, quando debet misereri genti Polonorum, et restaurare ruinas eorum. Ideo usque ad ista tempora, omnia insignia regalia, corona videlicet sceptrum et lancea in armario Cracoviensis ecclesiae, quae est urbs et sedes regia, ut superius memoravimus, adhuc servantur recondita, usque dum ille veniat, qui

vocatus est a Deo tamquam Aaron, cui sunt haec reposita." Vita S. Stanislai. Bielowsky Monum. Pol. I. 501. Quaeritur: excerpseritne Chronicon istud Polonorum et Hungarorum de quo agimus Vincentius; an ambo scriptores e vetustiori fonte sua depromserint?

2. CODEX PESTIENSIS.

Initium Legendae maioris: „Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum" — in omnibus codicibus Hartvicianis exstat; cetera huius praefationis passim omittuntur. Ut tamen caput hoc cum sequenti connectatur, additur formula transitionis: „Huius patris datum optimum — ad Hungaros usque — diffusum est Quod qualiter et quando factum sit stili beneficio memoriae commendare congruum duximus." Scriptor codicis Pestiensis dividit transitionem hanc post verba „diffusum est," inseritque totam Legendae maioris de propagatione religionis christianae dissertationem, concludens eam extrema transitionis sententia: „Quod qualiter — duximus."

Insertio haec supervacua esse videtur, quia quae iam in transitione breviter perstricta erant eadem iterantur prolixius in adnexis. Sic verba transitionis: „quia nullum spernit, sed omnes homines vult salvos fieri," his respondent: „non remansit patria neque natio, ubi quorumdam miserationis Christi non fuisset assumtio." Haec vero: „ad Hungaros usque, quos Christianorum flagellum fuisse constat, diffusum est," brevius eadem exprimunt, quae in fine prefationis leguntur: „Contigit divinae pietatis intuitum — hungaros — clementi visu de coelo prospicere — ut ad spem in aeternum permanentis perduceret retributionis."

In ipsum opus adsumtus est totus Legendae maioris contextus; cui interpositae sunt particulae quaedam Legendae minoris. Sic Strigonium ubi natus et literis eruditus est Stephanus (§. 3.) eiusque in propaganda religione christiana labor et conatus, (§. 4.) Huius particulae verba extrema cum excerptis e Leg. minori (§. 3.) de Geiza, in unum conflata, in laudem Stephani translata sunt. „In tantum divinis conspectibus se probabilem reddidit — omnesque immunditias malorum porsus destruxit." (§. 7.) Bellum civile (§. 6.) ex utraque Legenda est consarcinata.

Munificentia S. regis in sacerdotes et religiosos (§. 11.) verbis Leg. minoris (§. 6.) laudatur.

Historia denique hospitum Bissenorum (§. 19.) insidiae coniuratorum (§. 22.) iisdem verbis, quae in Leg. minori (§§. 8 et 9.) leguntur, sunt exposita.

Mutationes praecipuae rerum et verborum cum ceteris Hartvicianis codicibus communes hae fere sunt:

In genealogia. Pro quinto duce Geizam quartum dicit a primo. §. 2.

In chronotaxi. Legatum ad pontificem non quinto sed quarto post obitum patris anno missum fuisse scribit. (§. 9.)

In rebus historicis. Verba Leg. minoris: „in tantum divinis conspectibus — minis terroribusque subiugavit“ (§. 3.) quae de Geiza dicuntur S. Stephano adplicat § 7.

Sedem Astrico non archiepiscopalem Strigoniensem. (Leg. mai. §. 8.) sed episcopalem Colocensem adsignat. §. 8.

Sententiae in participes coniurationis a rege latae severiores esse videbantur interpolatori, quam virum sanctum deceret; ideo pro „oculis effossis et manibus truncatis“ haec pauca substituit: „digna eos multavit sententia.“ §. 22.

In verbis singulis. Regnum Geizae (Leg. mai. §. 2.) fit ducatus. §. 2. „Regalis accessus,“ (Leg. min. §. 5.) ducalis §. 6. „Rex ipse confidens de aeterna virtute“ (ibid) dux. „Rex divina praeeunte clementia adversus eos consurrexit“ (ibid.) ipse vero confidens etc.“ Oblitus tamen vocis ducatus, initio §. 6-i interpolator codicis Pestiensis regnum pannonicum ponit.

Stephanus post obitum patris in Legenda minori puer vocatur, et pueritiae anni memorantur (§. 4.); corrector adolescentem, et annos adolescentiae substituit. §. 5.

Additamenta. Primum additamentum, aliis minoris momenti omissis, est visio matris §. 4. S. Stephanus protomartyr praedicit uxori Geizae nativitatem filii „cui primo in hac gente corona debetur et regnum“ — praecipitque ut illi suum (Stephani) nomen imponat.“ Haec si cum visione priore Geizae in Legenda maiore conferantur, supervacanea esse videantur. Eadem enim ibi et hic de filio, de corona ac regno praedicuntur; imo illic plura etiam de

propaganda religione christiana, ecclesiis constituendis, et Adalberto venturo. Quod vero protomartyr puerum nomine suo vocari iubet, adversatur iis quae scriptor Legendae maioris §. 5. etymologizans de corona et coronato disserit. Unde liquet visionem hanc alteram ex alio quodam nunc non exstante libro vitam B. Stephani regis continente huc perperam translatam fuisse. Nomen enim quod hic e praecepto protomartyris infanti imponendum dicitur, apud prioris visionis auctorem e significatione vocis graecae „divino consilio" adsumtum fuisse scribitur. Unde duae istae visiones uni eidemque auctori adscribi non possunt. Verba: „Nec hoc silentio praetereundum est etc." ubi eadem fere visionis primae verba repetit: „tali voluit visione divina gratia consolari" = „mirabili visione consolatus eum dominus." (Leg. mai. §. 3.) — sunt interpolatoris, ad connexionem cum prioribus stabiliendam inserta Qui palam prodit suam in concinnandis historiis negligentiam, quum §. sequenti et nomen a protomartyre praedictum „cui antequam nasceretur — nomen indidit" — et „consilio dei" factum fuisse, „Stephanus quippe graece corona sonat latine" et cetera quae sequuntur, narrans, res disparatas in unum locum coniicere non dubitat.

2. Additur in fine §. 6-i notissima explicatio locutionis „decimae liberorum." Ut nimirum d e c i m a p r o l e s, sicuti frugum et pecorum decima pars domino dari debeat.

3. Deletis verbis ad strigoniensem metropolim pertinentibus §. 8. Colocensis episcopatus substituitur.

4. Inseritur §. 9. historia coronae a pontifice divinitus monito acceptae, corrigiturque annus „quintus post patris obitum" (1001) in annum quartum (1000).

5. Narratur §. 12. historia Sebastiani metropolitae, cuius, oculorum morbo laborantis, Astricus vicarius constitutus, post triennium c u m p a l l i o ad sedem suam Colocensem redierit.

6. Enumerantur §. 13. privilegia ecclesiae Albensis, et libertas subditorum eidem ecclesiae populorum.

7. Perscribitur §. 18. historia de rege Stephano in sensuum ecstasi constituto, et papilione in aëre pendente.

8. Adfertur §. 20. testimonium episcopi graecorum de anima Emerici ducis in coelum sublata, e Legenda S. Emerici.

De additamentis Hartvicianis in fine Legendae maioris, ubi mss. codd. deficiunt, egimus supra Disquisitione I. de supplementis huius Legendae a §. 15-o usque 20-um. Hic paucis tantum iterabimus quaedam partim ex alia S. regis biographia excerpta, partim ab ipso huius operis consarcinatore sunt inventa.

9. Melodia et svavis odor in templo, ubi corpus Stephani sepultum. §. 22.

10. Tempus regiminis 45. anni. Post totidem annos a morte regis „apostolicis literis sancitum“ ut corpus regis „elevaretur.“ Salomon e carcere dimittitur. §. 23.

11. De nonnullis qui ad sepulcrum sancti viri festinantes morbis curantur, et de mortuo in vitam revocato. §. 24.

12. Comitissa Machtildis uxor comitis Albi Udalrici „filia sororis regis Ladislai.“ §. 25.

Ex adductis et adducendis patet, auctorem codicis Pestiensis diversa e pluribus libris priori contextui non semper bene accommodata congessisse, eaque ad suas historicas et chronologicas opiniones interpolata, lectoribus pro genuino unius (Hartvici) auctoris opere venditare. Codex hic rarum et pretiosum praebet exemplum correctionum, additamentorum et repetitionum, quae lectori, quasi operi scribendo adesset, ipsam interpolationis actionem sub oculos ponunt. Codicem sic descriptum, propter Astricum e Strigoniensi sede in Colocensem translatum, partesque adsutas Legendae minoris, secundam collectitii huius operis editionem appellamus.

3. RELIQUI CODICES HARTVICIANI CUM PESTIENSI COLLATI.

Ceteri codices Hartviciani inter se fere consentiunt. Discrepant a Pestiensi omissionibus et variis lectionibus.

Omissiones. 1. Prologus ad Colomannum regem deest in Vindobonensi et Corsendonckano.

2. Deest in omnibus prologus Legendae maioris, quem Pestiensis inter „diffusum est“ — et „quod qualiter et quando factum sit“ — interponit.

3. In fine §. 3-i omittunt omnes verba Leg. maioris „timore perditionis ultimae — non confundit.“

4. Desunt in omnibus verba §. 4. „propter timorem et amorem dei.“

5. Verba §. 5-i „et susceptor eius ipse fuit“ habet cum Pestiensi Runensis solus.

6. Propositionem Leg. maioris initio §. 6-i „Regnoque pannonico — attendente“ reliqui omnes omittunt.

7. Propria denique Hartvico Pestiensi sunt commenta: §. 23. „quot annos — tot corpus;“ et §. 25 „Comitis Albi — sororis filia“ — quibus codices ceteri carent.

Angmentum quo Pestiensis caret, solus habet Vindobonensis: „Ascricus ad radicem montis ferrei precepto sancti ducis cenobium — construxit.“ §. 7.

Variae lectiones. Maxima codicum varietas in designando S. regis anno emortuali. Runensis MXXXIII. Vindobonensis MXXXVII. Ceteri MXXXIIII. Solus Pestiensis servat Legendae utriusque chronotaxim MXXXVIII. Alia minoris momenti praetermittentes solam adnotamus adhuc permutationem sedis Strigoniensis cum Colocensi. Constans est lectio in omnibus excepto Pestiensi: „Cognoscens vero prudens dux praedicti Ascrici religionem, pontificalis ipsum dignitatis infula decoratum, electione canonica sublimavit, et ei Colocensis episcopatus dignitatem obtulit.“

Repetitiones rerum iam semel scriptarum in solo Pestiensi offendimus. Particula de fundatione monasterii S. Martini, cui locus proprius in Leg. maiori post constitutos episcopatus, Ascrico iam metropolita §. 8. adsignatur, postquam in Pestiensi, compositis per Stephanum turbis intestinis §. 6. transcripta fuisset, oscitantia scribae priorum obliti contigit, ut eodem, quo in Leg. maiore stat, loco repeteretur. Vestigia verborum et quoniam (§. 6. Pestiensis „sed quoniam“) quibus narratio haec in Leg. maiore incipit, in imo paginae adhuc conspici possunt. (Vide in Specimine.) Par negligentia interpolatoris vel scribae in iteranda narratione „elevationis“ per regem Ladislaum et synodum decretae: „adveniente vero tempore declarationis eius — deberet esse quaerendum“ post interpositum de Salomone e carcere dimisso sermonem §. 23.

Peculiari attentione dignus est codicis Pestiensis locus §. 8. rasus et rescriptus ubi pro verbis Leg. maioris „constituens, cui

iam dictum" rescribitur: constituit. Predictum vero (servatis sequentibus) „venerabilem abbatem Ascricum pontificalis dignitatis infula decoratum electione canonica" (deleto voc. „prefecit") sublimavit; deficiente vero spatio, in margine continuatur: et colocensi episcopatui prefecit.

Cum interpolatio haec fieret, lectio ceterorum cordicum: „Cognoscens vero prudens dux — dignitatem obtulit" nondum videtur stilo consignata fuisse. Quamvis enim initium propositionis prolixius sit, quam ut trium vocabulorum: cui iam dictum spatio comprehendi possit; finis tamen eius „et ei colocensis episcopatus dignitatem obtulit," si eo tempore iam exstitisset, tam bene in margine perscribi poterat, quam haec: „et colocensi episcopatui praefecit."

Quid in loco abraso et rescripto §. 24. pro „Completo igitur tercie diei ieiunio" steterit, deficientibus hic Legendae maioris codicibus, nos ignorare ingenue confitemur.

Cum igitur non solum omnes quos inspicere licuit operis Hartviciani codices, sed etiam Capitulorum Albensis, Vaciensis, Strigoniensis chartae, excerpta huius Legendae continentes, inter se consentiant; differant vero a codice Pestiensi, praeter alia plurima, etiam in eo, quod hic solus annum regis Stephani emortualem recte adponat, contineatque fere omnia ceterorum; cum denique hi multa omittant in Pestiensi exstantium: tertiam in codicibus Cor. Cr. L. R. T. V. operis Hartviciani editionem nos in manibus habere existimamus.

DISQUISITIO IV.

DE AETATE ET FIDE OPERIS HARTVICIANI.

I. AETAS.

Ad aetatem collectitii huius operis definiendam ea solum sunt expendenda; quae in Legendis exscriptis mutata et interpolata, vel aliunde huc translata aut conficta sunt; mutationes nimirum et additamenta.

Mutantur in partibus Legendae prioris, ut cetera minoris momenti praetereamus: a) regalis conversatio in ducalem, (§. 3.) b) severior in coniuratos animadversio omittitur. (§. 22.) In Legenda maiore: a) Geiza princeps quintus in quartum (§. 2.); b) regnum in ducatum (ib.); c) quintus post mortem patris annus, in quartum (§. 9.); d) Astrici sedes Strigoniensis in Colocensem. (§. 8.)

Adduntur 1) Visio matris, qua Stephanus protomartyr nomen suum filio futuro imponi iubet. (§. 4.) 2) Decima proles cenobio S. Martini danda. (§. 6.) 3) Somnium pontificis de corona Stephano danda, missio coronae, et crucis in signum apostolatus. (§. 9. 10.) 4) Archiepiscopatus Sebastiani et vicariatus Astrici. (§. 12.) 5) Exemptio capellae regiae Albensis a iurisdictione episcopali, et immunitas populorum eiusdem capellae. (§. 13.) 6) Papilio orante rege pendens in aëre. (§. 18.) 7) Excusatio regis in latrones severius animadvertentis. (§. 19.) 8) Anima b. Emerici episcopo greco in coelum ferri visa. (§. 20.) 9) Odor, et melodia cantus angelici ad sepulcrum Stephani. (§. 22.) 10) Elevatio corporum sanctorum Hungariae ad mandatum curiae Romanae, et Salomon e carcere dimissus. (§. 23.) 11) Domina Machtildis albi Udalrici socia, Ladislai regis neptis. (§. 25.)

Ad regiam dignitatem obtinendam tanta est apud scriptorem hunc coronationis auctoritas, ut non solum, cum Legendae maioris auctore, neminem regis nomine dignetur, qui corona redimitus non fuerit; sed nec regnum vocare terram et gentem ei subiectam, nec regalem eius conversationem appellare audeat.

In Legenda maiore Geiza princeps vel dux (§. 3. 4. 5.); nec Stephanus alio insignitur titulo (religiosissimus princeps §. 7. liberalis princeps, princeps christianissimus. §. 8.), antequam „rex appellaretur, et diademate regalis dignitatis coronaretur.“ (§. 9.) Hartvicus in aestimando hoc, reges inaugurandi ritu superstitiosior, regnum Geizae mutat in d u c a t u m, et regalem Stephani conversationem tempore belli civilis in d u c a l e m. Fugit tamen attentionem eius educatio Stephani r e g a l i s per d u c e m patrem eius instituta: „Crevit infans r e g a l i nutritus educatu.“ (§. 5.)

Auctor Legendae minoris et Geizam et Stephanum more veterum reges vocat, coronationis vero, ut rei parvi momenti, ne me-

minit quidem. Alii etiam regis nomine appellant utrumque, usque ad medium seculum duodecimum.

Otto I. Imperator in epistola ad Piligrinum Passaviensem, Brunonem legatum suum his commendat: „Ungarorum confinio cautissime perducatur. Nobis enim illuc erit delegandus, quo r e x eorundem nostro quam propere arbitrio sit colligandus.“ 972. Hansiz. Germ. Sac. I. 207. Ademarus (1028): „Otto III. Dei voluntate populos Hungriae una cum r e g e eorum ad fidem Christi convertere meruit.“ Apud Pertz. SS. IV. 130. Adalbertus diaconus in vita S. Heinrici imperatoris (1152. canonizati): „(Heinricus) sororem suam Gislam Stephano r e g i eorum matrimonio copulavit.“ Pertz. SS. IV. 810. Imo seculo etiam decimo quarto: „Ecclesiam esse fundatam ante tempora beati regis Stephani, scilicet per dominum Geizam r e g e m patrem eiusdem, qui construxit etiam castrum Strigoniense.“ Apud Knauz. Monum. eccl. Strig. I. 30. „Filiam Geyzae r e g i s Hungarorum. et sororem Stephani successoris duxit in uxorem.“ Dandulus in Chronico. Apud Muratori. SS. rer. italic.

Reges appellantur priores etiam Hungarorum duces: „Contigit Hungaros Veronam his ignorantibus advenisse, quorum duo r e g e s Dursac et Bugat amicissimi Berengario fuerant.“ Liuthprand. II. 16. „Per idem tempus Taxis Hungarorum r e x magno cum exercitu in Italiam venit, cui Berengarius non ex propria pecunia, sed ex ecclesiarum ac pauperum collectione, decem modios nummorum dedit.“ Liuthprand. V. 15. Meminit expeditionis huius etiam Sigebertus ad annum 949. Pertz. SS. VI. 349. Sed Taxis anno illo adhuc privatus, principatum gentis Phalitzis tenebat; teste Imperatore Constantino. Bulsu etiam filius memorati Bugat (Anonym. Bela reg. not. c. 39) r e x fuisse scribitur in Gestis pontificum Cameracensium: „A. 953. VIII. Idus Aprilis ipsi Hungari promtiore impetu bellatoriam disciplinam preferentes huic urbi advolarunt, triduoque immorati totius generis pestem ediderunt. Ubi nepotem r e g i u m, cuius nomen excidit, cum paucis novissimum incedere de muris prospiciunt, hostem compendiario interceptum tramite persecuntur. Qui circumfusus multitudine — abscisso capite obtruncatur. Audito r e x B u l g i o sic enim dicebatur, furore accensus, casum amici miserabiliter ingemuit.“ Pertz. SS. VII. 428.

Seculis undecimo et duodecimo regiam dignitatem iure electionis adeptus rex dicebatur ab Hungaris, etiamsi corona redimitus non fuisset; regnum vero iniuste ut putabatur invadens, quamvis coronatus fuerit, pro rege tamen legitimo non habebatur. Sic Gregorius VII. papa Geizae I. regi coronato ducis tantum nomen tribuit. (C. D. I. 424.) Idem Ladislaum nunquam coronatum, vivente in Hungaria Salomone, r e g e m appellat. (C. D. I. 445.) „Quamvis ipsum (Ladislaum) Hungari in regem absque voluntate sua elegerunt, nunquam tamen in capite suo coronam posuit, propter quod potius coelestem coronam optabat, quam terrenam, et vivi regis coronationem. Sed usque legittime coronari, et coronam habere noluit. (proponens) in animo, ut si firma pax inter eos esse posset, regnum Salomoni redderet et ipse ducatum haberet.“ Chron. P. c. 62. p. LXXVI. Ubi inscriptio capitis perperam: „S. Ladislaus coronatur in regem.“ Vide etiam Legendam S. Ladislai, apud Endl. Mon. p. 238. Petrus et Samuel coronati illi quidem, regibus tamen Hungariae nec in priscis annalibus. nec in diplomate Andreae II-i 1235. confecto, adnumerantur. „Post obitum huius regis sanctissimi (Stephani) r e g n u m v a c a v i t v e r o r e g i m i n e annis XI mensibus quatuor et medio, infra quod tempus praefuit regno Petrus Theutonicus, frater dominae Gezle consortis eiusdem S. regis forsan annis septem et ultra — ac post ipsum Abba praefuit annis tribus et ultra.“ chron. Zagrabiense. Andreas vero II. in transumto literarum Radonis palatini: „Tenor privilegii primi Andreae et s e c u n d i regis Hungariae est talis.“ 1235. C. D. III. 2. 423.

Ut origo nimiae huius erga coronatos venerationis facilius reperiatur, iuvat strictim percurrere bella civilia, quae post mortem primi regis, vel timore perdendi, vel cupidine occupandi regni Hungarici seculis undecimo et duodecimo gesta sunt.

Petrus regno exturbatus, coronam suam secum asportaverit, et Samuel nova fuerit inauguratus corona; quam postea Henricus Caesar post pugnam ad Ménfő una cum lancea eius Romam transmiserit. Testis huius rei Gregorius VII. papa in epistola ad Salomonem regem: „Henricus piae memoriae imperator ad honorem S. Petri regnum illud expugnans, victo rege et facta victoria, ad cor-

pus beati Petri lanceam coronamque transmisit. 1074. C. D. I. 422.

Hanc S. Stephani coronam non fuisse docet nos chronici veteris scriptor, qui post debellatum Abam de Petro restituto haec narrat: „Inde Caesar Albam venit — ibi Caesar imperiali honore et latissimo praeparatu ab Hungaris honoratus, Petrum regem regali coronae plenarie restitutum, et sacris insignibus S. regis Stephani more regio decoratum in regali throno manu sua deducens in basilica gloriosae genitricis Dei semper virginis Mariae regaliter sedere fecit.“ Chr. P. c. 51. p. LIII.

Aemulus Petri Andreas potitus fuit, ut videtur, corona etiam et ceteris insignibus regiis, cum nec ipse Petrus evadere potuerit.

Andreas adventante contra eum fratre suo Bela cum exercitu, filium suum Salomonem cum thesauris, ut credibile est, et corona, transmiserat in Germaniam ad Caesarem affinem suum, ipse solus belli discrimen subiturus, in quo etiam occubuit.

Bela tamen post partam victoriam, de corona Stephani parum sollicitus, qualicunque diademate, cogente, ut ipse ait, exercitu, fuit inauguratus. „Bel autem qui Salomonem de regno expulerat, seseque iam regali unctione consecrari fecerat — legatos mittit: primo omnium excusare se iussit, quoniam ipse regem Salomonem, de regno non expulerit, sed cum ille sua sponte profugeret nemine insequente, tum sibi a tumultuante milite impositum diadema non licuisse recusare.“ Annales Altah. Pertz. SS. XX. 813.

Post obitum Belae regis Geiza filius eius cum fratribus in Poloniam se recipiens, coronam et thesaurum patris sui, Salomoni cum Caesare in patriam redeunti vix reliquerit, cum praesertim sciret, propriam illum secum adferre coronam. „Rex Salomon — cum Imperatore sine difficultate intravit in Hungariam rege orbatam, et securus venit in civitatem regiam Albam, ibique ab omni clero et populo totius Hungariae honorificentissime susceptus est. Regem autem Salomonem (imperator) in paterno solio gloriae coronatum cum assensu et clamatione totius Hungariae sedere fecit.“ Chron. P. c. 53. p. LVII.

Salomon, ante pugnam cum exercitu patruelium suorum Geizae et Ladislai decretoriam, muniverat castra Musun et Poson, uxo-

remque suam et matrem ibi reliquerat; nec credimus eas oblitas fuisse secum ferre thesaurum suum in quo et corona. „Rex Salomon — in eadem nocte collegit se festinanter in Musun et Poson, quae castra iam pridem muniverat. Matrem quoque et uxorem suam quando in proelium ivit illic reliquerat. Ob quam causam victus in proelio ob timorem ducum ibi se recepit.“ Chron. P. C. 58. p. LXXI.

Quid hac Salomonis, et illa Belae regis corona factum sit ignoramus. Geizae certe corona quae hodieque superest, teste inscriptione graeca, est opus byzantinum, quam Imperator Michael Ducas ei iam regi (krali Turcias. Inscr.) dono miserat. Ipse etiam. ut prius pater eius Bela „compellentibus Hungaris suscepit coronam regni.“ Chron. P. c. 59. p. LXXI.

Defuncto sancto rege Ladislao, qui nulla uti voluerat corona, Colomanno regia corona imponitur, Almus etiam dux huius dignitatis diademate insignitur. „1098. Colomannus rex coronatur, et frater eius Almus diadema induitur“ Chron. Poson. min. Successerat hic in ducatu patri suo Lamberto, teste eodem Chronico. Contentiones vero quae inter patrueles hos exstiterunt, non pro corona regni, sed pro ducatu retinendo vel recipiendo exercebantur. „1108. Frater regis Ungarici Almus nomine ad regem venit, a fratre suo se propulsum conquerens, et regem pro sui restitutione implorans.“ Annal. maximi Col. Pertz. XVII. 747. Colomanni aetate superfuerit adhuc corona S. Stephani regis, nam „Ipse Belam filium Almus ducis, filii Lamperti ducis, filii Bele regis dicti Benin — quia sibi consanguinitate attinebat, — non interfecit, sed privavit lumine, ut non sit dignus portare coronam sancti regis.“ Chron. Budense.

Borichius, Colomanni, ut ipse iactabat, filius, non coronam, sed regnum Hungaricum appetebat. Corona certe illi qualiscunque non defuisset, si in bellis, cum Bela II-o et filio huius Geiza gestis, superior evasisset.

Post Geizam Stephanus III. corona, ut Bonfinius fonte non indicato narrat, S. Stephani est inauguratus. „Omnes cunctis suffragiis declaratum a patre regem Stephanum III. comprobant et — paulo post Albae ex more coronant, et sacro divi Stephani progenitoris diademate confirmant.“ Idem scriptor tradit, Ladislaum patruum regis, antequam Stephanum regno exturbaret,

coronam illam sacram surripuisse, qua deinde ipse, et frater Stephanus IV, coronati fuerint. „Dux Ladislaus regis Belae caeci filius imperandi cupiditate tractus, ad occupandam coronam animum intendit, ratus facile fore, ut ea potitus, regno quoque potiretur. Inprimis cum fidissimis plerisque rem communicat, et surripiendae coronae clam consilium init etc.“ Decad. II. lib. VI.

Stephanus III vix sesquimense post susceptam regiam dignitatem a seditiosis Ladislao faventibus Posonium fugere coactus, perdideritne an servaverit coronam suam incertum est. Chronicon Posoniense minus, eum c o r o n a p r i v a t u m fuisse tradit. „Geyza rex appositus est ad patres suos, et filius eius Stephanus corona insignitur. Ladizlaus et Stephanus fratres Geyze regis de Grecia revertentes Ungariam intraverunt, et supradicto Stephano c o r o n a p r i v a t o, Ladizlaus in regem elevatur. Qui Stephanus in Poson fugit.“ Sed vocabulum c o r o n a hic pro r e g n o positum, sensu translato usurpari, ex Chronico Claustro — Neoburgensi discimus. „1161. Geiza rex Ungariae obiit, cui successit filius eius Stephanus, qui non multo post r e g n o p r i v a t u r, et Lazlau frater defuncti regnum invadit.“

Quicquid sit de hac Stephani et patruorum suorum corona, Ladislaus certe et Stephanus IV in annalibus Hungaricis „usurpatores“ vocantur: „Coronatur Stephanus filius eius (Geizae) — in cuius imperio dux Ladizlaus filius regis caeci u s u r p a v i t sibi c o r o n a m dimidio anno. Post hunc autem Stephanus frater eius u s u r p a v i t sibi c o r o n a m mensibus quinque.“ Chron. P. c. 72, 73. p. XCVIII.

Post obitum Stephani III-i Bela frater eius e Graecia redux, toto fere anno cum Geiza fratre, et factione reginae viduae, bellum gerere coactus, primus est qui non solum eadem, qua decessor eius corona, sed etiam per Archiepiscopum Strigoniensem debuerit ex opinione populari inaugurari. Corona quidem potitus fuerat, fratrem ceperat et in custodiam dederat, sed archiepiscopum, sive quia adversae partis fautor, sive alia ex causa pertinacissimum, ut apud se inaugurandi officio fungeretur, persvadere nullo modo poterat. Romano pontifice intercessore opus erat, ut ei metropolita Colocensis coronam imponere possit.

Hic incipit unica haec Belae III-i corona in pretio haberi, et inducitur mos filium vivo patre coronandi. Nec mirum, post obitum Emerici et Ladislai infantis regum, propter coronam cum puero in Austriam asportatam, Andream II-um successorem eorum, cum Austriae duce proelio decertare voluisse. „1205. Regina Ungarorum Heinrici regis vidua, secum habens quosdam episcoporum et optimatum Ungaricorum, qui propter iusiurandum, quod infantulo regi iuraverant, adhuc in parte eius stabant, per vim occupatis portis et custodiis terminorum Ungarici regni, versus Wien ducens secum filium suum, cum thesauris et divitiis magnis, et comitatu copioso egressa est, et a Liupoldo duce, de quo propter affinitatem plurimum praesumebat, magnifice suscepta. Paucis igitur transactis diebus Ladezlaus infans moritur, corpusque illius a Jurino (Rabin) episcopo Albam translatum, et in sepulcro regum regio more tumulatum est. Sicque sedata est controversia grandis, quae inter ducem et Andream regem orta fuerat, pro repetenda tam regina, quam thesauris, seu corona quam simul asportaverat; in tantum, ut contractis utrinque exercituum copiis, inter se dimicaturi residerent.“ Annal. Admunt. Pertz. IX. 591.

Emerici regis temporibus coepit etiam vocabulum corona, significatione regni et regiae dignitatis apud Hungaros usurpari. Prima eius mentio in diplomate anni 1197: „Quemdam iobagionem de castro Poson — qui in adversitatibus et bellis inter nos et fratrem nostrum habitis a fidelitate nostra non declinavit, verum viriliter pro corona nostra dimicavit.“ C. D. II. 301. Deinde recurrit hac significatione saepius, et honor patriae huic coronae inhaerere existimatur. Ideo praepositus capituli Albensis „cuius curae — diadema etiam regium committitur“ petit a pontifice „ut custodiam hanc personae alteri idoneae concredere possit, ne forte per imperitiam, aut infidelitatem vel negligentiam custodis, ipsius ecclesia detrimentum patiatur, aut honor patriae de corona aliquam laesionem sustineat.“ 1198. C. D. II. 533. Recepta iam hac coronae significatione utitur etiam pontifex in epistola ad Emericum: „Gubanus — quandam partem populi Christiani, tuae coronae subiecti, clam captivatam deduxit.“ 1202. C. D. II. 394.

Superstitiosa igitur haec principis vel ducis et regis distinctio a ritu coronationis regalis pendens, auctorem Legendae maioris et eius interpolatorem Hartvicum circa Emerici regis tempora scripsisse indicat.

Alteram notam temporis praebet quartus ab obitu patris annus legationis Romanae, et coronae missae; id est ab anno 997 incipiendo annus, ut interpolator putabat, ab incarnatione Domini millesimus.

Iam dudum praevaluerat apud veteres opinio, Stephanum nostrum regium nomen non ante annum 1001. assumsisse. Adversatur huic opinioni privilegium sancti regis, ubi anno 1001. secundus regiminis annus numeratur. Privilegium hoc transumsit, et duplici suo sigillo munivit Andreas II. anno 1213.

Post hunc ergo annum, quo primum innotuerat ipsum sanctum regem regimen suum ab anno millesimo inchoare, fuerit quintus Legendae annus in quartum commutatus.

Nec archiepiscopatus Sebastiani alio nititur testimonio. Memorantur enim in fine diplomatis „Sebastianus archiepiscopus cum comite Ceba villas monasterii S. Martini nominantes."

Sebastiano huic, antequam diploma vulgaretur nemini noto, vicariam debebat operam praestare Astricus Colocensis, quem metropolitanae sedi initio regiminis Stephanei praefuisse, constans fama ferebat.

Astricus ipse ante annum 1212. Colocensis appellatus vix fuerit. Litem enim de iure coronandi reges, inter metropolitas Strigoniensem et Colocensem per decennium agitatam, hoc anno pontifex lata sententia diremit, dum Colocensi regum coronandorum ius omne ademit. C. D. III. 1. 131—3. In diuturna hac contentione nemini in mentem venerat Astricus Colocensis, qui ipsam coronam Roma adtulerat; quae res tamen qualecunque argumentum pro iure coronandi reges etiam Colocensi tribuendo praebere potuisset.

Post annum demum 1212 fuerit fama de Astrico Colocensi diffundi coepta, cum novae inter metropolitas contentiones de dignitate ortae fuissent; ad quas componendas pontifex anno 1215. Jeuriensem et Cenadiensem episcopos delegat. (Knauz. Monum. eccl. Strig. I. 219.) Honorius demum anno 1219. contentionibus his finem im-

posuit, utrumque eiusdem iuris et dignitatis esse pronuncians. Prohibet enim Strigoniensem usu pallii in Colocensi dioecesi „cum imperium non habeat par in parem.“ C. D. III. 1. 282.

Geiza dux quartus e quinto, mutationem opinionis de primo Hungarorum duce, et auctore regiae stirpis, indicare videtur: derivando nempe ducum et regum seriem ab Arpade, omisso patre eius Almo.

Tempus mutatae opinionis ad reditum Andreae II-i ab expeditione orientali, anno 1218. commode referri potest; cum a graecis nurum eius Mariam comitantibus ipse aulicique eius audisse poterant, quod Constantinus Porphyrogenitus Almo et Arpadi aetate suppar affirmat: „nullum ante Arpadem Turcos (Hungaros) summum principem habuisse.“ Sed haec fusius in peculiari de Almo primo duce Hungarorum dissertatione.

Visiones denique tam parentum S. Stephani, quam pontificis de corona ei divinitus destinata, iam anno 1233. passim nota erant. Sic enim scribit Andreas II. ad legatum pontificis Iacobum Praenestinum: „Hunc regem sanctissimae et recolendae memoriae intelligimus, beatissimum Stephanum gentis Ungarae primum regem, qui ad regni solium auctoritate propria noluit sublimari; — ideo non a quolibet, sed a vicario Ihesu Christi et Petri beatissimi successore per revelationem divinam summo pontifici factam, assumsit regium diadema. Sed et parentibus eius fuerat divinitus revelatum, quod ei primum in gente nostra corona debebatur et regnum. Sed et auctoritate summi pontificis, qui ipsum vocabat regem et apostolum gentis nostrae, provincias per episcopatus distinxit.“ 1233. C. D. III. 2. 346.

Ex his temporum notis aetas Legendae Hartvicianae intra annos viginti, nempe 1213—1233. collocari potest.

II. FIDES OPERIS HARTVICIANI.

Legenda S. Stephani sub Hartvici episcopi nomine edita, seculis 13-o et sequentibus auctoritate maxima pollebat. Haec sola, prioribus neglectis, in tabulariis capitulorum et monasteriorum, haec in curia Romana servabatur, a summis pontificibus approbata et confirmata.

In praefationibus ad excerpta capitulorum: „Legenda sanctissimi regis Stephani, per sanctissimos papas approbata et auctenticata. (Alb. l. 6.) — Legenda auctenticata et approbata per sanctissimos Romanos pontifices.“ (Vacien. l. 6.)

Pontifici Bonifacio VIII-o Legenda haec documentum historicum constituit: „Fuerat quidem divinitus revelatum, quod ei primum in gente Ungariae corona debebatur et regnum. Sicut haec plenius documenta, quae servantur in archivis memoratae ecclesiae Romanae, testantur.“ Ad legatum suum Nicolaum Ostiensem episcopum. 1301. Cod. Dipl. VIII. 1. 61.

Cum probe sciamus complura veterum monumenta, per pontifices imperatores reges et iudices pro veris et genuinis accepta, accuratiore, et ad leges critices instituto examine, vana et conficta apparuisse: operae pretium nos facturos speramus, si praecipua quaedam huic biographiae propria censoriae animadversioni subiiciamus.

Videamus primum quid sibi voluerit Hartvicus, pro quinto anno quartum substituens.

Annum forte volebat indicare millesimum. Legerat enim in privilegio regis Stephani, initium regiminis eius ab hoc anno duci.

Annum quo Geiza dux vita functus est noverat et exscripserat e Legenda Maiore. Eodem quo martyrium Adalberti (IX. Kal. Maii 997.) anno id contigisse memoratur. Tertius ab hoc annus completur anno 1000. et incipit quartus. Ita ut legatio mense Aprili vel Maio missa redire potuerit cum corona mense Augusto, et eodem vel proximo Stephanus inauguratus fuerit.

Sed ratio ista temporis accurata dici non potest; quia de die obitus Geizae ducis non constat. Si enim exeunte anno 997. mensibus Novembri aut Decembri dux ille obierit, legatio quidem quarto ab obitu anno iter ingredi, sed corona anno duntaxat sequenti adferri, et solemnitas coronationis celebrari potuisset. Currebat quidem annus quartus ab obitu, sed ab incarnatione Domini millesimus primus.

Quintus annus rem gestam arctioribus terminis concludit. Incipit enim anno 1001, quo et legatio mitti, et coronatio peragi debuit; nam initio anni sequentis Otto III. vita functus et Henricus rex creatus est. Stephanus vero teste Thietmaro „gener Heinrici

ducis, gratia et hortatu imperatoris coronam et benedictionem accepit.“

Sed nec de anno Geizae emortuali satis constat. Chronicon Posoniense Minus annum 998 fuisse tradit; qui si admittitur, quinto coronationis anno nihil loci relinquitur.

Anno quarto adversatur etiam Sylvester II. pontifex in epistola illi tributa. Coronam enim Stephano mittit VI-o Kal. Aprilis. Indictione XIII-a. (27-a Martii anno 1000.), quo tempore si Geiza post Adalbertum obiit, currebat adhuc annus a morte tertius.

Variae sunt sententiae veterum de anno quo Stephanus regium nomen adsumsit. Legenda Maior, annales vetustissimi, et hos secuti historici domestici consentiunt in anno 1001. Privilegium Stephani primi regis, Chronicon Posoniense minus, et annales Polonorum annum praeferunt millesimum.

Non id quaeritur in praesentia, quae sit probabilior opinio, sed an profuerit Hartvico commutatio illa anni quinti cum quarto, ad annum coronationis certius definiendum. Patet vero e supra dictis, de anno allatae in Hungariam coronae, ex anno quarto ab obitu Geizae, nihil certi statui posse, donec dies ipse, quo pater Stephani vita excesserit, editus accurate non fuerit.

Coronam Roma missam fuisse veteres nec affirmant, nec negant. Legenda Minor coronationis non meminit. Maior „benedictionis apostolicae literas allatas“ solum memorat, non vero coronam. Locus Thietmari: „Imperatoris — gratia et hortatu gener Heinrici ducis Bawariorum in regno suimet episcopales cathedras faciens, coronam et benediccionem accepit.“ Pertz. SS. III. 784. — nihil aliud significat, quam Waic, monente et favente Ottone imperatore, regium nomen et dignitatem rite suscepit. Quis vero coronam ei dederit non indicat.

Ad ritum inaugurandorum regum pertinebat aetate Thietmari unctio, consecratio, benedictio et coronatio. Benedictionem accipere idem erat, ac diademate regio insigniri. Testis ipse Thietmarus et synchroni scriptores. „Heinricus dux initio mensis Iunii (1002) — Wormatiam venit causa Rhenum transeundi. Magontiaeque benedictionem accipiendi. — Coloniensis archiepiscopus simulabat se ob hoc tam sero ad regis gratiam accessisse, quod in

accipienda benedictione Maguntinum sibi rex voluisset praeponere." Thietmar. lib. IV. Accipiebatur etiam corona benedictionis, vel corona et benedictio. „Occurrit Coloniensis archiepiscopus, sed quanto ditior, tanto morosius. Erat insuper causa dilationis Moguntiae accepta corona benedictionis." Adalboldi Vita Heinrici imp. Pertz. SS. IV. 686. „Novus autem rex (Heinricus) Paderbrunnun S. Laurentii natalem celebravit, ibique domna Cunigunda regalem coronam et benedictionem a Venerabili Willegiso archiepiscopo accepit." Thangmar. Vita Bernwardi. Pertz. SS. IV. 775. Hoc aliis verbis Annales Hildesheimenses: „Eodem anno novus rex Heinricus S. Laurentii natalem Paderbrunnen celebravit. Et ibi domna Cunigundis regalem benedictionem et coronae impositionem a praedicto metropolitano suscepit" Ad annum 1002.

Nec pontifices seculi undecimi, recenti quamvis rei gestae memoria coronae Silvestrinae meminerunt. Gregorius VII, cuius adolescentia Stephani regis tempora attingit, qui medio seculo XI. factus Cardinalis et S. Romanae ecclesiae archidiaconus, de negotiis quae initio eius seculi inter Silvestrum et Stephanum tractata fuerant, per oculatos testes doceri poterat, haec scribit ad Salomonem regem: „Sicut a maioribus patriae tuae cognoscere potes, regnum Hungariae sanctae Romanae ecclesiae proprium est, a rege Stephano olim beato Petro cum omni iure et potestate oblatum. Praeterea Henricus piae memoriae imperator, ad honorem S. Petri regnum illud expugnans, victo rege et facta victoria, ad corpus beati Petri lanceam coronamque transmisit, et pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principatum eius attingere cognovit." 1074. Cod. Dipl. I. 422. Exspectabamus: „illuc direxit coronam, unde ea processit." Corona certe victi regis Romam missa, quam Hildebrandus vidisse et manibus tractasse poterat, amplam praebebat occasionem renovandi memoriam coronae Silvestrinae. Urbanus II. in epistola ad Colomannum regem, repetit quidem memoriam honoris et dignitatis, quam Stephanus a Romana ecclesia promeruerit: de corona altum silet: Reminiscatur Strenuitas tua religiosi principis Stephani, qui generis tui primus a sancta Romana et apostolica ecclesia fidei religionem suscepit, et

regalis dignitatis iura promeruit. — De nobis ita Excellentiam tuam confidere volumus, ut quidquid honoris quidquid dignitatis praedecessor tuus Stephanus ab apostolica nostra ecclesia promeruisse dignoscitur, certa devotione exquiras, plena liberalitatis benignitate percipias.“ 1096. Cod. Dipl. II. 13. 15.

Sed ne in inquirendo partium studio ducti videamur, adponimus testimonia etiam, quae coronam regni Hungarici a Romano pontifice missam fuisse declarant.

Innocentius III ad Iohannem Strigoniensem: „Salva semper apostolicae sedis auctoritate, a qua Ungarici regni corona processit.“ 1209. Cod. Dipl. III. 1. 93.

Quid auctoritas haec possit, planius explicat ipse pontifex in literis suis ad Andream ducem: „Per apostolica tibi scripta praecipiendo mandamus, quatenus — debitum acceptae crucis exsolvens propositum iter arripias, — ne si onus tibi a patre iniunctum et a te sponte susceptum occasione qualibet detrectaris, paterna te reddas successione indignum, et hereditatis emolumento priveris, cuius recusaveris onera supportare. Sciturus ex tunc anathematis te vinculo subiacere, et iure, quod tibi si dictus rex (Emericus) sine prole decederet, in regno Ungariae competebat ordine geniturae, privandum et regnum ipsum ad minorem fratrem tuum (Salomonem vel Stephanum) appellatione postposita devolvendum.“ 1198. C. D. II. 314.

Thomas archidiaconus Spalatensis Hartvico aetate suppar. (natus 1200. † 1268.) „1030. His temporibus Stephanus Geizae filius per Romanum pontificem coronam regni adeptus, primus rex Ungarorum effectus est.“ Apud Lucium de regno Dalmat. Amstel. 1666. 322.

Annales Kamenzenses seculi 13-i: „A. Millesimo presidente Sylvestro secundo sedi apostolice, Stephanus rex Ungarie, post obitum patris sui Iesse anno quarto, misit Adstricum episcopum ad Sylvestrum, pro corona regni petenda. Eodem tempore pro simili negotio premiserat dux Mesco Lambertum episcopum Cracoviensem. Sed dominus papa visione monitus angelica, coronam quam duci Mesconi preparaverat, transmisit Stephano regi Ungarie.“ Apud Pertz. SS. XIX. 581. Similia tradunt annales capituli Cracoviensis, et ceteri Polonorum.

Corona haec medio seculo 13-o sancta vocatur: S. Ecclesie Strigoniensis quae etiam „infideles nostros et sancte corone per censuram ecclesiasticam arcet et compellit ad nobis, et sancte corone obediendum.“ 1256. Knauz. Monum. Eccl. Strig. I. 437. In codice diplomatico male „sacrae“ coronae. IV. 2. 386—7.

Silvester II. in epistola ad Stephanum scribit: illos tantum successorum eius pro regibus habendos, qui non solum haeredes et per optimates legitime electi, sed etiam eadem, quae Roma mittebatur, corona inaugurati fuerint: „Nos Excellentiam tuam, tuorumque meritorum intuitu heredes ac successores tuos legitimos, qui (per optimates legitime) electi atque a sede apostolica approbati fuerint, nunc et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, — postquam tu et illi corona quam mittimus rite coronatus, vel coronati exstiteritis etc.“

Harum conditionum non videntur notitiam habuisse pontifices, qui exeunte seculo decimo tertio ordinem successionis regiae in Hungaria stabilire sunt conati. Nulla enim electionis vel coronae Silvestrinae ratione habita, primo Carolum Martellum, postea filium eius, reiecto Andrea herede, electo et corona illa sancta insignito, veros Hungariae reges declararunt.

Andreas quippe eodem, quo Ladislaus rex obierat mense, ab optimatibus electus et Albam deductus, primus est, qui se coronam S. Stephani adeptum diserte profiteatur. „Cum domino rege Ladislao fratre nostro infeliciter interemto in regiminis solium et regni gubernaculum successissemus, annuente clementia Salvatoris, iure et ordine geniturae, et coronari apud Albam Regalem corona et diademate sanctissimi regis Stephani voluissemus; et quidam regiminis et coronationis nostrae aemuli, primitus insidias latenter, et demum in patulo, ne ipsa corona sancti regis tempore coronationis nostrae dari nobis possit, posuissent, — idem Magister Th. Praepositus (Albensis) — subtiliter et caute, et ubi debuit potenter et viribus laborans — ipsam coronam sancti Stephani regis nobis dedit et statuit, die et tempore debito ac placito coronationis nostrae. 1293. C. D. VI. 1. 237.

Hunc tamen Andream Bonifacius VIII. regis nomine non dignatur. „Porrecta nobis ex parte nobilis viri Ioannis comitis Castri

ferrei — petitio continebat, quod cum ipse olim — fidem et devotionem S. Romanae ecclesiae debitam observare — promisisset, ita quod nulli tamquam regi Ungariae pareret, aut intenderet seu obediret, nisi destinato seu approbato a Sede praedicta; quia tamen obedientiam et reverentiam Andreae, qui rex Ungariae nominatur, ignorans ipsius regimen per Sedem approbatum, eandem noluit exhibere etc.“ 1299. C. D. VI. 2. 226. „A tempore obitus clarae memoriae Latislai regis Ungariae, ac deinde dum Andreas in eodem regno se pro rege gerebat, carissima in Christo filia nostra Maria regina Siciliae illustris ad se, et dilectum filium nobilem virum Carolum nepotem eius praefatum regnum asseruerit, et asserat pertinere de iure etc.“ 1302. C. D. VIII. 1. 88. Nec dubitat pontifex vivo adhuc Andrea Carolum aemulum eius per Strigoniensem electum inaugurandum curare: „Cum magnificus Carolus nepos carissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliae regis illustris, per dilectum filium Strigoniensem electum — in eiusdem regni Ungariae regem fuisset antea coronatus.“ 1301. C. D. VI. 2. 315.

Quo tempore non solum ipsa S. Stephani corona, sed etiam locus, civitas nempe Alba regia requirebatur, ut coronatio rite facta fuisse existimetur. Ideo Tragurienses nuntio Caroli Martelli dicti regis Hungariae fidem dare recusant, quia coronatus quidem, sed non Albae: „Petit consilium dari prout vobis videtur super iuramentum fidelitatis, quod per quendam nuntium regis Caroli Martelli postulatur. — Thomas Zanniche surgens in eodem consilio consuluit aregnando, quod quidam sapiens mittatur Spaletum, et dicat quod illi nuntio regis Caroli non potest modo responderi: quia qui se regem facit Ungariae solet se coronari in tali civitate; unde illi, qui coronaretur in regimine Ungariae intendimus obedire.“ 1292. C. D. VI. 1. 195.

Corona hac omnes ante Carolum I. reges Hungariae inauguratos fuisse testantur eiusdem regni Archiepiscopi et episcopi: „Postquam diversis coepit regnum Hungariae languere periculis, ante hos novem ferme annos, regale diadema quod a summo pontifice S. Stephano gentis eiusdem primo regi destinatum, et ab eo transmissum in posteros, in Albensi ecclesia cum summa diligentia servabatur, quo etiam ipsius gentis reges consveverunt succedentes sibi

iure legitimo coronari; improba temeritate ab eadem ecclesia violenter ereptum, ac per diversas manus non sine multo eiusdem discrimine devolutum, adhuc privata violentia occupatum detinetur; cumque ad ipsius recuperationem nulla sollicitudo potuisset proficere, tandem Reverendus pater dominus frater Gentilis, tituli S. Martini in montibus Presbyter Cardinalis, sedis apostolicae legatus cernens, quod ob ipsius carentiam, cui multum reverentiae atque auctoritatis ex dicti regni incolarum opinione defertur, quasi in eo sit ius regium constitutum, unde et detentoris ipsius audacia crescere, et regiae dignitati poterat plurimum derogari, omnium nostrum, itemque baronum regni Hungariae consilio et assensu idem diadema, donec sic occupatum existeret ne cum eo reges ungerentur, aut possent coronari, penitus interdixit; ac ne semel data eidem genti Sedis apostolicae in praefato diademate benedictio tali praesumtione deficeret, idem dominus Legatus ex nostro et baronum beneplacito et assensu, egregio opere ex auro et lapidibus pretiosis, novum fecit diadema parari; quod etiam cum magna solemnitate, coram cleri et populi numerosa frequentia, tertio idus Iunii, id est in die festivitatis b. Barnabae apostoli, per ipsum dominum Legatum, cum missarum solemniis benedictum, et sacro per nos tactum est crismate, ut tale — — — novum hoc illi antiquo, dum sic detinetur, succederet, vel accederet liberatio, ac — — — ius idem, eademque potestatis gratia nosceretur, ipsum regno, et domino regi Karulo illustri Hungariae, nomine Romanae curiae, contulit et donavit, ad opus coronationis regum Hungariae, iuxta morem antiquum in praefata Albensi ecclesia perpetuo conservandum; cum quo etiam praedictus dominus Karolus, rex illustris sequenti Dominica, scilicet decimo septimo Kalendas Iulii, cum magno praelatorum baronum et nobilium cleri populique tripudio, per meas Strigoniensis archiepiscopi manus, ad — — — de voluntate et assensu nostrum et baronum, extitit feliciter coronatus.“ 1309. C. D. VIII. 1. 338—9.

Anno sequenti Carolus sancta illa b. Stephani etiam corona redimitus est: „Anno domini 1310. congregati in campum Racus circa Pesth, Karulum saepe dictum in regem concorditer susceperunt, et Albam properantes — sollempniter coronarunt cum

s a n c t a corona a Ladizlao Voivoda restituta.“ Chron. P. C. 95. p. Cx.

Eadem b. Stephani corona inaugurati fuisse narrantur Ludovicus, Sigismundus et Matthias reges.

„Dominus Ludovicus — ad gubernandum — Hungaricae nationis regnum hereditarium, iure geniturae sibi successum, de Praelatorum, Baronum, Procerum et nobilium regni unanimi et concordi voto sublimatus, e t c o r o n a b e a t i s s i m o S t e p h a n o p r i m o r e g i H u n g a r o r u m d i v i n i t u s c o n d o n a t a, die Dominico proximo ante festum b. Iacobi Apostoli, anno in praesenti praeteritum, in Alba regali, in loco suo cathedrali solemniter est coronatus.“ 1342. Cod. Dipl. IX. 6. 5.

Coronam divinitus datam Hagecius seculi XVI-i scriptor c o e l o d e l a p s a m interpretatur. „1022. Eodem anno sanctissimus Hungariae rex Stephanus pro filio suo Emerico regium d e c o e l o diadema impetravit, hodie etiam novorum regum vertici imponi solitum.“ Apud Dobner. Monum. hist. Boh. P. V. p. 120. Eadem etiam a n g e l i c a, quasi ab angelo data dicebatur: „Forsitan ceciderat (corona) in prima vigilia noctis, reinventa est autem sequenti die. — Quid est quod a nullo inventa, sed ab ipsis qui portabant? nisi quod ne Pannonia d a t a s i b i c o r o n a a b a n g e l o privaretur.“ Chron. P. c. 94. p. CIX.

„Domina Maria regnavit quatuor forte annis, et tradidit ius regni ipsi Sigismundo marito suo, consensitque, se vivente, eundem C o r o n a r e g i a S. r e g i s S t e p h a n i coronari.“ 1382. Chron. Bud. p. 345.

„Matthias, felicis memorie filius illustris Iohannis de Hunyad — victor rediens ad Hungariam, d y a d e m a t a S. r e g i s S t e p h a n i, quod apud Fridericum Romanorum imperatorem habebatur, in civitate Albe regalis potitus est.“ Chron. Bud. 355.

Sed haec de corona Roma petita sufficiant. De forma et origine fatisque sacrae huius, quae hodieque magna cura servatur, coronae, nova et accuratior disquisitio adornanda est.

Historica in utramque partem de corona Hungarica testimonia adtulimus, nec ullam nobis, in decidenda originis eius quaestione, auctoritatem arrogamus. Lectorum esto iudicium.

Misca (Mesco, Miseco) dux Polonorum, cui corona a Romano pontifice ante adventum legatorum Stephani destinabatur, obierat anno 992. (Annal. Hildesh. Necrol. Fuld.) Sed Hartvico et Cosmae Pragensi in vivis agebat adhuc anno 1000, et sequenti. „Dux Mesco veniens Pragam cum valida manu Polonica, invasit urbem Pragam et per duo spatia annorum, scilicet anno dominicae incarnationis Millesimo, anno dominicae incarnationis MI-o obtinuit eam" Cosmas Pragensis. apud Pertz. SS. IX. 57.

Nec putamus cum viro docto Hartvicum hic errasse in persona, et pro Misca Boleslaum scribere voluisse. Nam Boleslaus serius, circa annum 1007 imperante iam Henrico II. miserat legatum Romam coronam pro ipso petiturum, qui tamen in itinere captus ad pontificem non pervenit. „Busclavus (Bluscavus. Ms. Vatic.) destinabat nuntios, qui plurima eius dona papae deferrent, et coronam sibi a sede apostolica reportarent. — Imperator Henricus Busclavi consilium non ignorans, undique vias custodiri praeceperat, ut si Busclavus Romam nuntios mitteret, in eius illico manibus devenirent. Monachus ergo, qui nuper missus — fuerat, demum captus est, et mox carcerali custodiae mancipatus" Petrus Damiani in Vita S. Romualdi. Capp. 28. 29.

Falsus est porro Hartvicus, monasterio S. Martini decimas etiam de p r o l i b u s dandas fuisse scribens. Quem errorem manifestum silentio praeterire possemus, nisi docti viri Hartvici in hac re fidem tuendam suscepissent.

Error eius in significatione „decimae liberorum;" ubi pro liberis hominibus, proles intelliguntur. Legendae, Minor et Maior decimarum et decimationum tantum meminerunt. In diplomatis S. Stephani regis, pro liberis h o s p i t e s nominantur: „decimationem de omnibus negotiis, praediis terris vineis segetibus, v i n u m q u e h o s p i t u m, ne parochiano episcopo pertinere videretur." (1001.) Et in diplomate anni 1037.: „Omnes supervenientes h o s p i t e s, qui ad eiusdem monasterii terras praedia, seu quascunque possessiones habitandi gratia accesserint, in cuiuscunque episcopi dioecesi fuerint, decimas suas de vino, de segetibus sive alliis nascentiis, et de pecudibus vel animalibus, n u l l i e p i s c o p o dent, nisi proprio monasterio suoque abbati." C. D. I. 329.

Iam in privilegio Geizae I. 1075. liberi memorantur: „Statui, ut ecclesia illa (S. Benedicti de Gron) decimas suas omnes, tam liberorum quam servorum, ubique in hoc regno existentium habeat.“ C. D. I. 438.

Legerit Hartvicus in Chronico decimas liberorum S. Martino debitas: „Universum populum in provincia Cupan ducis degentem, decimas liberorum, frugum ac pecorum suorum coenobio S. Martini dare perpetuo iure decrevit.“ Chron. P. c. 36. p. XXXIII. Budense p. 64. Reque non intellecta proles cogitaverit.

Seculo superiori Timon decimas has liberorum recte e fundis liberorum hominum datas fuisse censuit, adducta in testimonium S. Ladislai I. lege 27. „Non dedit coenobio illi decimas liberorum, id est puerorum, nam antiqui Hungariae reges per liberos intellexerunt fundos liberorum, sive servorum, qui aliquam libertatem consecuti sunt, ut apparet ex libro I. decretorum S. Ladislai c. 27. ubi statuit: „Abbates de liberis suis dent decimationem episcopis.“ Epit. Chron ad annum 1001.

Sed clarissimus historicus noster Katona, et alii viri docti decimas has prolium fuisse magno conatu persvadere nituntur. „Quum S. Stephanus coenobio S. Martini decimas liberorum addicit, pueros (puellas?) intelligendos esse per liberos ex Chartuitio discimus, — „constituens ex omnibus eorum facultatibus tam strictas decimas dari, ut si cui decem liberos habere contingeret, decimam prolem S. Martini coenobio daret.“ Haec iam adeo clara sunt, ut de liberorum, seu puerorum decimis omne dubium tollant. Verum quidem est, sanctum regem in diplomate, post tres annos abbatiae S. Martini dato, decimae prolis coenobio huic addictae non meminisse; propterea tamen Chartuitii fides in dubium vocanda non est. Nam ut Stiltingus observat: „potuerunt ipsi monachi, ad declinandam invidiam, decimis liberorum renuntiare, etiamsi fuissent antea a rege concessae. Fieri etiam potuit ut vox illa exciderit literis, in quibus plura reperiuntur menda. Certe in ipsis literis inferius mentio fit de mancipiis monasterii, cui illa non videntur obtigisse, nisi hac donatione regis. Tandem verisimiliter dici potest, decimam prolem solum unica vice dandam fuisse monasterio ab illis, qui tempore rebellionis decem liberos habebant.“ Histor. Duc. 721—22. Nos tamen, pace

doctorum virorum Péterfii, Stiltingi, Katonae, Engel dixerimus: negamus apud Hungaros puerorum quemquam decimationis nomine servitio addictum fuisse; Hartvicumque decimas suas humanas, e decimis liberorum non intellectis, confinxisse censemus. Liberi, ut ex allatis supra diplomatum locis patet, olim hospites dicebantur, et alii servitute soluti, decimaeque eorum ad solos pertinebant episcopos. Et quia monasterium hoc decimas liberorum habebat, in Leg. maiore „simile factum esse scribitur episcopiis.“ Ad supra per Timonem citatam legem S. Ladislai accedit eiusdem regis lex: De decimatione liberorum: „Episcopi de liberis accipiant decimam.“ 1092. Libr. I. 31. Et Belae tertii: „Omnes omnino decimas dare tenentur episcopo: cuiuscunque fastigii baro, nobilis, serviens regius, castri vel castrensis, hospitesve nostri, vel cuiscunque alterius de regno nostro liber homo vel servus etc. — de omni frugum genere, scilicet tritico, siligine, ordeo avena milio — eorundem leguminum prorsus genere nullo excepto, item de vineis, seu de vino, item de molendinis, item de armentis equorum seu equacia, item de agnis et edis, item de porcis, item de apibus. item de anseribus et gallinis, cum subcultellaribus denariis plenius persolvendis.“ 1191. Endl. Monum. 395. Minute enumerat cuncta, quae decimationi subiacent; de pueris nec hic, nec ante vel post usquam ulla mentio.

Decimae hae seculo 13-o liberae appellabantur, pendebantque iobagiones equestres, vel liberi. „In villa Nelka (abbatis S. Martini) iobagionum equestrium sunt XX mansiones — — dant liberas decimas dicto monasterio de omnibus bonis suis“ Monum. 7. 3. „In predio Weynuch hec sunt nomina piscatorum — — et isti tenentur ire in carina abbatis etc. — Preterea dant liberas decimas monasterio.“ ibid. p. 15. „In predio Nema hec sunt nomina iobagionum: Albert, Simoun, Paul. Et isti sunt liberi soluentes tributa“ — p. 18. „Libere condicionis homines soluere debent decimas suas in prediis ipsius ecclesie Budensis locati, secundum consuetudinem regni approbatam.“ 1255. Monum. 7. p. 258.

Sunt qui vestigium decimationis prolium, in charta quadam Abbatis S. Martini se reperisse putent. „Conquerimur de eisdem (Albensibus) quod populos suos, qualicunque nomine censeantur, et

ceteros ad ipsos confluentes, de possessionibus, prediis, negotiationibus, vineis, segetibus vectigalibus (sumta haec e diplomate a. 1001.) ad ipsos populos pertinentibus, ac proles eorundem, et ceteris rebus que decimari debent, in predicto comitatu (Simigiensi) existentibus, decimas soluere non permittunt." 1234. Monum. 6. p. 326. Verum hic proles filii familias proprias domos habentes intelliguntur, qui sicuti patres, decimas dare debebant „Filius qui in domo patris est, seu filius seu seruus, non separetur, sed simul dent decimacionem cum patre. A filiis vero aut seruis qui per se habent domos, accipiant decimam de omnibus quae habent." S. Ladislai I. 40. Proles in charta superiori est accusandi casus, regiturque a verbo permittunt, ut attento lectori ultro patebit. De decimis liberorum hactenus.

Fuerunt qui severitatem Stephani regis, in puniendis latronibus, perduellibus et aliis facinorosis, sanctitati eiusdem haud convenire putarent. Hartvicus supplicia de latronibus sumta, qui „per omnem regionem in ingressu viarum duo et duo suspendio perierunt" (§. 19. e Leg. min. 8.) excusare conatur: „quod ob terrorem incutiendum reliquis, zelo eum iusticie fecisse credendum est." §. 19. Coniuratorum vero quamvis non extrema supplicia, quos Stephanus „ut reliquis essent in exemplum, et discerent dominos summo honore venerari, visu privavit, manus noxias abscidit (Leg. min. 9.);" nec exscribere quidem audet, omissisque his substituit: „digna eos multavit sententia." §. 22.

Supersunt adhuc leges S. Stephani regis, poenas scelestis ea aetate passim infligi solitas, irrogantes. In perduelles sententia capitalis ferebatur; caecatio genus erat clementiae. „Si quis in consilio regiae mortis aut traditionis regni legaliter inventus fuerit, ipse — capitali subiaceat sententiae." II. 2. „Si quis in regem aut regnum conspiraverit, refugium nullum habeat ad ecclesiam." II. 51. Sanctum hunc regem, probis tantum mitem fuisse praedicat Herimannus: „Ipso anno Stephanus Ungariorum rex probis mitissimus — obiit." Pertz. SS. V. 123. Pelbartus etiam e veteri libro iam non exstante: „B. Stephanus rex nemini perverso parcebat etiam palatino vel magnifico; unde quemdam palatinum propter iniustum iudicium excoriari fecerat." Supra III. C. 4.

Narrationi de „elevatione“ sancti regis perperam praemittit Hartvicus sequentia: „Ex romanae sedis institutione apostolicis literis sancitum est, ut eorum corpora elevari deberent, qui in Pannonia christianae fidei semina iacientes, eam praedicatione vel institutione ad dominum convertissent.“ §. 23.

Male enim cohaerent cum iis quae sequuntur, et quae de „elevatione“ S. Emerici in eius Legenda traduntur. Ladislaus nempe synodum convocat, indicit triduanum ieiunium, et §. 25-o sepulcro aperto sancti corporis reliquias ad altare B. Mariae Virginis transferri curat. Similia narrantur in fine Legendae minoris §. 10. nec discrepant narrata Legendae S. Emerici: „Rex itaque Ladislaus, utpote divinae religionis cultor eximius, convocato et indicto triduano ieiunio, Nonas Novembris corpus beati Hemerici cum honore elevavit.“

Ipsa Legenda maior: „Adveniente vero tempore declarationis eius etc. — quaerendum“ excludit praeceptum pontificis. Nam „Rex Ladizlaus — spiritus paracliti perlustratione tactus habito colloquio cum episcopis et primatibus et totius pannoniae sapientibus triduanum indixit ieiunium“ ibid. §. 23. Gerardus regnante Andrea I-o, septennio post martyrium suum, anno 1053 levatus, et ad urbem Morisenam translatus est. Vita S. Gerardi. §. 21. End. Mon. 230—1.

Falsa igitur est narratio de beato Ladislao rege, qui iuxta constitutionem sacrosanctae romanae ecclesiae corpus Gerardi canonizaverit; ut legitur ad calcem Legendae S. Gerardi, addita manu seculi 14-i exeuntis.

Falsus est etiam ipse scriptor Legendae S. Ladislai qui „canonizationem Stephani, Emerici, Gerardi et sanctorum etiam Andreae et Benedicti eidem regi tribuit, et quidem auctoritate romana intercedente. „Igitur auctoritate summi pontificis impetrata, sanctorum corpora, videlicet beati Stephani regis, qui primus Ungaris viam salutis aeternae demonstravit, et filii eius sancti Hemerici — sancti Gerhardi martyris et beatorum Andreae et Benedicti mirabiliter fecit canonizari.“ §. 6. Endl. Mon. 240.

Stephanum et Emericum sine interventu pontificis levatos, Gerardum vero iam anno 1053, triginta annis prius translatum, nec

huiusmodi solennitate amplius egentem ex Legendis eorum vetustioribus discimus. Andreas vero et Benedictus, teste eorum aequali Mauro episcopo, tempore ducis Geizae (1063—1073) iam sancti et beati vocantur, nec ritu solenni unquam postea canonizati sunt. Endl. Mon. 134—8.

Haud abs re fuerit asseverationem nostram, rationibus historicis fulcire et illustrare.

Antiquitus honorem martyribus vel confessoribus tribuere episcoporum erat. Id vero fiebat primo communi populi, — postea vero Synodi et principis etiam consensu. Altaria vel oratoria construebantur sanctis, corpora eorum e sepulcro levabantur, loculi erigebantur super terram, festusque illis dies ab episcopo dicebatur. Sic Adalbertus martyr ubique, Andreas seu Zoerardus et Benedictus in Hungaria consensu episcoporum et populi; — Gerardus 1053, Stephanus et Emericus 1083 consensu episcoporum et principis „elevati, translati“ sanctisque adscripti sunt.

Paullatim invaluit mos, negotium hoc ad pontifices Romanos deferendi, qui in concilio vel synodo sanctitatem personae postulatae declarare solebant. Exempla canonizationum per pontifices in conciliis, conglomerat Eminentissimus Cardinalis Lambertinus, de beatificatione et Canonizatione Lib. I. c. 20.

Prima indubia Bulla pontificia de canonizatione sancti est Ioannis XV-i qui ad preces Liutolfi episcopi Augustani Udalricum episcopum in concilio Lateranensi an. 995 sanctum declarat. Leo IX Gerardum Tullensem in concilio Romano; Innocentius II Godehardum Hildesheimensem in Remensi, et Sturmium abbatem Fuldensem, in Lateranensi secundo, sanctis adscribunt.

Primus qui extra synodum „communicato tamen consilio cum episcopis“ negotium hoc conficit, est Eugenius III. (1145—1153.) „Tametsi huiusmodi petitio, nisi in generalibus conciliis admitti non soleat; auctoritate tamen sacrae romanae ecclesiae, quae omnium conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris adquiescimus, atque eiusdem memorabilis viri, cuius exaltationem requiritis, fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum qui praesentes aderant communicato consi-

lio, memoriam inter sanctos fieri censemus.“ Bulla canonizationis Henrici Imperatoris. 1152.

Ex verbis Eugenii patet, seculo undecimo praecedente moris non fuisse „apostolicis literis sancire (ut Hartvicus scribit) ut aliquorum corpora eleventur;“ sed petitiones ad pontificem directae „in conciliis generalibus“ pertractabantur.

Alexander denique III. totum canonizationis negotium soli sedi apostolicae addixit, sanctos declarans: Eduardum Angliae regem 1161; Bernardum abbatem Clarevallensem, Helenam Visigotham, et Canutum Daniae regem anno 1164. His adversari videtur Cosmas Pragensis, qui ad annum 1074. de beato Gaudentio aichiepiscopo Gneznensi, fratre Adalberti adnotat: „Quem tu dicis sanctum, adhuc non est per apostolicam sedem incanonizatus. Missam eius ut pro defunctis celebramus.“

Hic tamen incanonizatio non ea intelligitur quae „elevationem“ praecedere, sed quae sequi debeat. Continuarunt enim metropolitani exercitium sui iuris usque ad novam Alexandri III. constitutionem. Solemnitate scilicet „elevationis“ peracta, de serie rei gestae, virtutibus et meritis sancti, ad sedem apostolicam referre solebant. Hoc designatur verbo incanonizatio. Gaudentius certe nullo decreto pontificio, nec synodi quidem, sed consensu tantum episcopi et populi beatus appellatus et cultus est. In manuscripto enim Calendario sanctorum ordinis S. Benedicti haec leguntur: „Beatus Gaudentius archiepiscopus Gnesnensis in Polonia ad coelos evolavit, sepultus ibidem in templo B. V. Mariae.“ Apud Bolland. ad 5-am Januarii.

Canonizationes pontificias initio seculi duodecimi adhuc in synodis fieri solitas testatur Callistus II (1123.) Sic enim ad eum Udalricus Constantiensis episcopus: „Pro Chunradi Constantiensis episcopi gloria, ut moris est ecclesiarum canonizanda, cum sedis apostolicae praesentiam crebris iam dudum interpellassem literis, hoc immutabilis sententiae responsum accepi: Vitam eius in concilio recitandam et comprobandam fore generali, et testes insuper idoneos signorum, quae per eum fiunt, seu facta sunt, ibidem adhibendos.“ Vita S. Chunradi. Pertz. SS. IV. 430. Cuius responsi meminit etiam Em. Cardinalis L. I. C. VIII. n. 14.

Inserueritne Gregorius VII. albo sanctorum omnino quemquam, supra laudatus Cardinalis certo affirmare non audet. Cum autem nomina paucorum adducit, fidem penes auctores esse declarat: „Corpus S. Paschasii Radberti abbatis auctoritate Gregorii VII. translatum et elevatum fuisse dicit Baillet in Vita S. Paschasii. S. Heribertus archiepiscopus Coloniensis ab eodem canonizatus creditur, quamvis alii id alteri Gregorio tribuant. Eiusdem denique iussu elevata fuisse corpora SS. Stephani Pannoniae regis ac Gerardi episcopi et martyris censet Baronius. (Annal. ad an. 1079.)

Gregorius VII. Synodos celebravit undecim. In quibus nulla cuiusquam inter sanctos relati mentio. En seriem et acta harum Synodorum.

Prima synodus celebrata est anno 1074. Secunda 1075. Tertia 1076. in qua Henricus rex excommunicatur. Quarta et quinta 1078. mensibus Martio et Novembri. Sexta 1079. Septima 1080. Octava 1081. in qua excommunicatur Henricus; deponuntur archiepiscopi Arelatensis et Narbonensis; anathemate configuntur Ildimundus et Landus Campaniae tyranni. Anno 1082 synodus nulla. 1083. quo sancti Stephanus et Emericus elevati sunt, Gregorius papa Romae obsidebatur. Cepit urbem Leoninam imperator IV. Non. Iunii. Pontifex in arcem S. Angeli se recepit, ubi celebrata est synodus nona XII. Kal. Decemb. actumque de pace cum Henrico facienda, religiosa conversatione, fidei forma, et animi constantia. Obsidionem solvit Robertus Guiscardus anno 1084. Kal. Maii. Hoc anno celebratae sunt synodi decima et undecima: in quibus antipapa Guibertus, et Henricus anathemate percussi. Obiit pontifex Salerni 24-a Maii 1085.

Elevatio igitur sanctorum nostrorum tempore obsidionis Romanae peracta, nec ad notitiam quidem pontificis pervenire potuit. Ipse Gregorius in laudatis ad reges Hungaricos epistolis Stephanum regem tantum appellat. Nec Urbano II. videtur res adhuc cognita fuisse, nam in epistola ad Colomannum, Stephanum religiosum tantum principem vocat. „Reminiscatur strenuitas vestra religiosi principis Stephani, — quidquid dignitatis praedecessor tuus Stephanus — promeruisse dignoscitur — quidquid rex praefatus instituit.“ Vide supra. Quod pontifex non

fecisset si „apostolicis literis sancitum“ fuisset, ut corpus Stephani regis elevaretur.

Popularem tantum non pontificiam fuisse Stephani in album sanctorum relationem innuere videtur etiam Otto Frisingensis. († 1158) „Hunc Stephanum Ungari, hactenus fidem christianam servantes, velut principium fidei suae inter sanctos colendum dignum ducunt.“ Pertz. XX. 241.

Rem denique hanc, sola Hartvici auctoritate nixam luculenter docet supra laudatus Cardinalis: „Post delatas ad sedem apostolicam canonizationum causas, introducta est quaedam aequipollens canonizatio, per quam pontifex omissis, formali sententia definitiva, iudicialibus processibus, consvetisque caeremoniis — iubet aliquem Dei servum, qui in antiqua cultus possessione est, et de cuius heroicis virtutibus aut martyrio et miraculis constans est gravium historicorum assertio, accedente etiam continuata miraculorum fama, — iubet inquam in universa ecclesia per officii ac Missae celebrationem coli. Rem per exempla exponere peropportunum duco. §. 1. De S. Romualdo. 2. De S. Norberto. 3. De S. Brunone. 4. De S. Petro Nolasco. 5. De S. Raymundo Nonnato. 6. De Sanctis Ioanne de Matha et Felice de Valois. 7. De S. Margarita Scotorum regina. 8. De S. Stephano Hungariae rege. Sancti Stephani Hungariae regis nomen in Martyrologio Romano descriptum erat ad 20-am Augusti. In eius Vita a Cartuitio episcopo scripta, et a Surio edita, dicitur illius corpus elevatum fuisse pontificis auctoritate: incertum tamen est num id Beatificationem an Canonizationem importaverit. Eum itaque aequipollenter canonizavit Innocentius XI. qui (29. Novemb. 1686) petente Leopoldo imperatore, iussit eius officium, quod sub ritu simplici in ecclesia universa recitabatur, sub semiduplici fieri 2-a Septembris, in memoriam victoriae in expugnatione Budae a Christianis contra Turcas obtentae.“ Lib. I. C. 41.

Ultimo loco corrigendi sunt errores, a scriba codicis Pestiensis, in annis imperii Stephanei definiendis, et genealogia matronae Machtildis, commissi.

Corpus Stephani 45. annis in sepulchro quievisse dicitur, ut „quot annos spiritus mole carnis indutus terreni coronam imperii gestare merebatur, tot etc. §. 23.

A quarto anno post obitum patris (1000) usque ad mortem regis (1038) non plures quam 38 anni numerantur; coronam certe imperii ipso Hartvico teste ante annum millesimum Stephanus noster non gestavit.

Ante coronationem Legenda maior tres tantum annos numerat. Geiza enim filium suum, „convocatis Hungariae primatibus,“ non statim, sed „post se regnaturum populo praefecit.“ §. 5. Patre demum anno 997. fatis functo coepit „regnum pannonicum beati iuvenis nutum attendere.“ §. 6.

Consentit Legenda Minor. Geiza filio „qui arce regni sublimandus“ erat, vivus quidem uxorem duxit §. 3; Stephanus vero „post eius tantum obitum favore principum et plebis in regni solium laudabiliter provectus est.“ §. 4.

Falsum est igitur quidquid alii de 45. vel 46. annis regiminis Stephanei somniarunt. Regnavit ille ab anno 997, usque 15-am Augusti 1038 annos integros 41. E variis annorum XLI. et XLII. lectionibus exstiterint anni XLV et XLVI. In utroque male posito V. pro. I.

Machtildis „comitis albi Udalrici socia, regis Wladislai sororis filia“ dicitur §. 25; cum illa Sophiae non filia, sed neptis, et Gebehardi comitis de Sulzbach, non Udalrici socia fuerit. Huius genealogiam ex Annalista Saxone, cuius opus anno 1139. desinit, operae pretium erit adscribere.

Sophiam Belae I. filiam, defuncto primo sponso Willihelmo Thuringiorum duce, Udalricus duxerat Carentinorum marchio (albus Udalricus scribae) anno Christi 1062. Lambert. Pertz. SS. V. 162. Isto, post septennium 1069. mortuo, Sophia vidua nupsit Magno, Ordulfi Saxonici ducis filio; ex quo genuit filias Wifhildem et Eilicam. Annal. Saxo. Pertz. SS. VI. 697.

Sophia vita excessit eodem quo frater eius Ladislaus anno: „1095. Ladislaus rex pannoniensis vir piae memoriae, — item Liuppoldus marchio et Heinricus palatinus comes obierunt. Sophia ductrix obiit piae memoriae XIV. Kal. Iunii.“ ibid. p. 728. Maritus eius anno demum 1106. mortuus est.

„Wifhildis (filia Sophiae) nupsit Heinrico duci, filio Welfi ducis senioris de Bawaria, genuitque Heinricum inclytum ducem Saxo-

niae et Bawariae, et Welfonem, et quatuor filias. Unam earum nomine Iuditham duxit Fridericus dux Svevorum. Alteram nomine Sophiam Bertoldus dux de Zaringe; illoque interfecto duxit eam marchio Liuppoldus de Stire, qui de fortitudine cognomen habuit. Tertiam nomine Wifhildem Rodolfus comes de Bregenza accepit. Quarta Machtildis nomine nupsit Thieppoldo iuniori, filio Thieppoldi marchionis senioris; illoque mortuo duxit eam Gebhardus, filius comitis de Sulzbach.“ Annal. Saxo. Pertz. SS. VI. 744.

DISQUISITIO V.

DE AUCTORE TRACTATUS DE INSTITUTIONE MORUM AD EMERICUM DUCEM.

Opus hoc Stephano regi tributum, maiores nostri in collectionem legum, nomine Decreti primi S. Stephani, collocarunt. Accedunt decretorum libri duo in unum contracti, et decreti secundi nomine signati.

Edidit huius operis contextum, præter alios, etiam Illustrissimus episcopus Ignatius Batthyany, in Legum ecclesiasticarum II. p. 53—54, e codice Kollariano ineuntis seculi XV-i iam non exstante. In observationibus suis, libelli huius auctorem quidem Stephanum, scriptorem vero S. Gerardum fuisse arbitratur; cum aliquam cum stilo Gerardi similitudinem in eo reperisset. Clarissimus etiam Wattenbach cum historicis nostris consentit, dum libellum hunc genuinum S. regis opus esse credit: „Superest Stephani primi regis edictum et tractatus de morum institutione ipso auctore in Emerici filii gratiam conscriptus.“ Apud Pertz. SS. XI. p. 222.

Primus quod sciamus Ioannes Christianus Engel fuit, qui in sua historia regni Hungarici lingua germanica conscripta, opus hoc spurium esse dixit, a monacho quodam inscriptiones capitum apud Hartvicum §. 20. legente, ipso libro vero non exstante, confictum.

Nos comparantes stilum huius tractatus „cum Legibus Stephani regis, opere S. Gerardi (S. Gerardi scripta et acta. Edidit

Ignatius de Batthyany episcopus.) et phrasi Legendæ maioris — exponemus rationes veteres et novas, quae contra authentiam libelli militare videntur.

I. COMPARATIO STILI.

a) Cum legibus S. Stephani.

Regalis dignitas utrique communis. „Ad regalis dignitatis ordinem non oportet nisi fideles accedere." Cap. I. „Opus regalis dignitatis alimonia catholicae fidei effectum." Legg. praef. Adiectivi regalis frequens usus utrobique. „In regali quidem palatio post fidem ecclesia secundum tenet locum." C. 2. „Acquisitio est regalis salutis oratio" C. 9. „De retentu regalium rerum." Legg. I. 7. „Regali iudicio tradatur." I. 13. Sed regius etiam occurrit: „Nonaria regie dignitatis regula." Cap. 9.

Augustus. „Inde in primis reges augusti dicebantur, quia augebant ecclesiam." C. 2. „Antiquos et modernos imitantes augustos." Legg. praef.

Monarchia = regnum. „Illi sunt — augmentatores monarchiarum." C. 4. „Ecclesia — in nostra monarchia adhuc quasi iuvenis et novella praedicatur." C. 2. „Dei nutu nostram gubernantes monarchiam." Legg. praef. „Ut gens huius monarchiae ab omni accusatione servorum remota maneat." Legg. I. 20.

Senior = dominus. „Pontifices sint tibi seniores." c. 3. „Duae partes regis, tertia seniori servorum." Legg. II. 5.

Capitalis sententia. „Quotiescunque ad te venerit aliquis capitalis sententiae reus. C. 5. „Ipse vero capitali subiaceat sententiae." Legg. II. 2.

Quod absit. „Si culpa reprehensione digna super aliquem horum — ceciderit, quod absit, corripe eum." C. 3. „Si quis tam perdurato corde est, quod absit ab omni christiano, ut nolit confiteri sua facinora." I. 12.

b) Cum opere S. Gerardi.

Peculiare Gerardi est fatetur = dicit, in citandis sententiis biblicis, et per hoc = ideo. „In canticis Spiritus sanctus

fatetur: unguentum effusum nomen tuum" (cant. II. 2.) p. 47. „Nimirum ut splendor mundi fatetur: charitas patiens est." (I. Cor. 13. 4.) p. 35. In tractatu semel tantum: „Si versaberis cum stultis, sociaberis illis, fatente Spiritu sancto per Salamonem." Cap. 7. Alias semper verbis aio, dico vel praepositione iuxta solet uti. „Iuxta divinae sapientiae svasum dicentis per os Salamonis: audi fili mi etc" prolog. „Ut ait apostolus: nemo coronabitur etc." C. 1. „Iuxta evangelium dignum est praeceptum: ut suspendatur mola asinaria etc." C. 2.

Per hoc apud nostrum semel: „Regum solium ornat ordo pontificum, per hoc in regali dignitate tertii possident locum." C. 3. Ibi saepius: „Per hoc aeterna erunt." p. 186. „per hoc praecipitur." 227. „Per hoc unum Spiritum confitemur." 258.

Haeresiarcha. „Hos ipsos certe scias haeresiarchae servos." C. 1. „Non dubites autem reges diaboli haeresiarchas, et omnes qui in hoc seculo inique et crudeliter potentantur." IV. p. 104.

Hebetudo. „Ut desidiam et hebetudinem a te repellat." C. 9. „Circa cetera insolescente hebetudine utique bestialissima." VI. 151.

Salamon scribitur apud utrumque: „Salamon ignorare se dicebat." p. 273. Apud nostrum vide supra fatente.

c) Cum Legenda Maiore.

Locutio huic Legendae frequens, filius pro subditus, praeditus, pertinens ad aliquid: „Contigit divinae pietatis intuitum in filios perditionis — clementi visu de coelo prospicere." Praef. „Ut iam in illo posset agnosci, cuius filius desideraret fieri." 2. „Modis omnibus obedientiae filium ei se fore, demonstravit." 4. Saepius etiam apud nostrum: „Ut cuncti ecclesiastici filii, merito te verum christianae professionis nominent virum." C. 1. „Christianus non diceris vel ecclesiae filius" ib. „Huiusmodi viri sanctae fidei filios omnino reddunt morbidos." ib.

In codice diplomatico nostro etiam occurrunt.

Filii ecclesiae. „Ut archiabbatis sancti Martini et totius eiusdem loci conventus cum filiis ecclesiae unanimi electione abbas in eodem loco praeponatur." C. D. II. 145. 1157.

Filii jobagionum S. regis. „Qui de filiis jobagionum S. regis de Goricza oriundi fuerant.“ 1224. C. D. III. 1. 446.

Proceres filii Stephani regis. „Eo tenore ut inter proceres eiusdem castri, proceres filii scilicet Stephani regis existant.“ 1165. c. D. II. 173.

Regalis. „Crevit infans regali nutritus educatu.“ 5.

Deificus = divinus, sanctus. „Eos — virtute deifica mirificavit.“ Leg. M. Praef. „Interdixit per David deificum regem.“ C. 3.

II. ARGUMENTA CONTRA AUTHENTIAM.

1. Insurgit auctor huius tractatus cap. 1-o in haereses SS. Trinitatem dividentes, augentes vel minuentes; monetque Emericum ut symbolum S. Athanasii teneat, et haeresiarchas caveat. Haereses aetate Emerici contra doctrinam SS. Trinitatis nullae.

Haeresis Roscellini dialectici Compendiensis in Gallia, cuius discipulus Petrus Abaelardus, serius erupit. „Tres personas in Deo, esse tres res ab invicem separatas“ docuerat, — „et tres Deos vere dici posse si usus admitteret.“ Contra hunc scripsit S. Anselmus librum „de fide Trinitatis, et de incarnatione verbi.“ Eiuravit errorem suum metu mortis in concilio Svessionensi anno 1092. Huius doctrina Trinitatem augebat.

Bogomilorum haeresis, circa annum 1108, eam minuebat. Euthymius conatur huius haereseos capita refellere in opere cui titulus: Panoplia. Dicebant se credere in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum; sed re vera Patri tria haec nomina tribuebant.

Waldensium, Catharorum, Albigensium sectae coeperunt circa annum 1160 per Petrum Waldonem civem Lugdunensem in Gallia. Cathari et Albigenses dividebant SS. Trinitatem, docentes non esse eam unum Deum; sed Patrem majorem Filio et Spiritu sancto. Waldenses damnati ab Alexandro III pontifice in concilio Turonensi anno 1163.

Miratur doctus vir, cur ibi graecorum orientalium mentio non fiat, qui aetate ipsius Stephani quam maxime disceptabant de Spiritu Sancto a Patre solo, non etiam a Filio procedente, contra catholi-

eorum doctrinam. Respondemus: Schisma inter ecclesias orientalem et Romanam anno 1053. est renovatum per Michaelem Caerularium, ab anno 1043 patriarcham Constantinopolitanum; eius igitur mentionem ante annum 1031 fieri non potuisse.

Quod ad haeresiarchas trinitarios attinet, animadvertimus S. Gerardum, in suo opere ad Isingrimum, similia scripsisse: „Nullus unquam plus peccat haeretico. Ergo qui ait Christum actualem animam non suscepisse, pseudo — propheta est." p. 105. „Inaequalitas nulla inter Deum et Deum, utique inter Patrem et filium." p. 111. „(Ecclesia) Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum verum Deum praedicare non cessat." p. 191.

Argumentum hoc viri docti, ad aetatem auctoris integro seculo seriorem demonstrandam, parum valere arbitramur.

2. Alterum argumentum serioris aetatis ducitur a nimia aestimatione, et privilegiis clericorum. Hos qui offendit, potestate et dignitate privatur — reges et principes per illos constituuntur — illi supra humanam conditionem, — nec reprehendi quidem possunt a laicis. „Si quis infelix huius ecclesiae sanctae membra scandalizat — dignum est praeceptum — ut deiiciatur a potestate dignitatis." C. 2. „Ordo pontificum, — sine illo nec constituuntur reges nec principatus. — Segregavit eos Deus ab hominibus et ab humano die interdixit reprehendendos esse." ibid.

Doctrina haec de clericorum supra reges et principes excellentia, ante pontificatum Gregorii VII-i inaudita. In Hungaria certe ante tempora Colomanni regis clerici iisdem quibus laici iudiciis suberant.

Aetate S. Stephani clerici per laicos examinabantur: „Testes autem et accusatores clericorum sine aliqua sint infamia. Testimonium laici adversus clericum nemo recipiat, nemo enim clericum quemlibet in publico examinare presumat, nisi in ecclesia." Legg. I. 3. 4.

Idem status clericorum tempore etiam S. Ladislai regis: „Nuncius regis — palam faciat omnibus, in primis episcopis, abbatibus, comitibus — quod si quis forte detinuerit, dupliciter reddat." Legg. III. 2. Synodus Strigoniensis sub Colomanno rege, et ipse rex in suis legibus, transferunt iudicia clericorum ad epi-

scopos: „Imprimis interpellandus est rex, ut causae clericorum, vel ecclesiasticarum rerum canonice finiantur.“ Syn. 1. Endl. Mon. 351. „Si quis clericorum aut abbatum in causis ecclesiasticis, relicto episcopali iudicio, regalem curiam aut seculare iudicium adierit, causam perdat, et poenitentia emendet.“ Syn. 25. „Si quis clericorum furti arguitur, ab episcopo vel archidiacono iudicetur.“ Syn. 57. „Si clericus cum laicis causam habet, per sigillum iudicis laicus cogatur; si vero laicus habet causam cum clerico, per sigillum episcopi vel archipresbyteri clericus cogatur, ab eisque cum iudice suo examinentur.“ Colom. Legg. 6. Endl. Mon. p. 361. Nemo ante Gregorium VII.-um minatus est principibus clericos sontes punientibus amissionem dignitatis. Henricus I. Bavariae dux Patriarcham Aquileiensem virilibus privavit; archiepiscopo Salisburgensi oculos eruit. Thietmarus apud Pertz. SS. III. p. 745.

3. Minoris momenti est observatio viri docti: non esse verisimile, ipsum Stephanum, suum in educando Emerico institutum vituperasse, cum filium suum in prologo sic alloquitur: „Puer es divitiarum vernula, pulvinaris (vel plumarum) accola, fotus educatusque in deliciis cunctis — iam tempus adest, in quo tibi non semper pulvinum mollitiae adhibendae sunt, sed interdum vis et asperitas tribuenda est etc.“

4. Porro supervacaneum eidem censori videtur, verecundissimum, ut constans fama fert, adolescentem ad castitatem exhortari: „Sis pudicus, ut cunctos libidinis foetores sicut stimulum mortis evites.“ C. 10.

5. Signum denique serioris aevi esse existimat cohortationem ad imitanda exempla priorum r e g u m (hungaricorum scilicet): „Grave enim tibi est h u i u s c l i m a t i s tenere regnum, nisi imitator consvetudinis a n t e r e g n a n t i u m exstiteris regum.“ C. 8.

His addimus novas in stilum et res huius tractatus animadversiones.

1. Scriptor Legendae maioris ter utitur locutione biblica n o v e l l a p l a n t a t i o. (Quorum filii sicut novellae plantationes in iuventute sua. Ps. 143. 13.) „Ut securius, quod in mente tractabat in novella plantatione christianitatis explere sufficeret.“ §. 6. „Si placet tibi domina novellam plantationem christianitatis abo-

leri" §. 14. „Monuit illos novellae christianitatis plantationi custodiam adhibere." 15. Similia leguntur in epistola Andreae II regis ad pontificem: „Nos itaque tot et tantis — infamiae perculsi rumoribus, novellam adhuc in regno nostro Christianitatis plantationem non patientes evelli, — a terra sancta secessimus." 1218. Cod. Dipl. III. 1. 251. Hanc, ut videtur, phrasin conantur imitari Hartvicus, et auctor epistolae Silvestrinae: „Quo novellae christianitati exortae in partibus Pannoniae largam benedictionem porrigeret." Hart. 9. „Novellas plantas regni tui rore suae benedictionis perfundat." Epist. Silv. Etiam auctor nostri tractatus: „Istam novellam sanctae ecclesiae plebem miserabiliter destruunt." C. 1.

2. Regem nostrum Stephanum, cui hic tractatus tribuitur, pro more temporum illorum statis eruditum, et praeceptis humanitatis excultum fuisse accepimus. „Puer adhuc scientia grammaticae artis ad plene imbutus." Leg. min. 3. „Crevit puer regali nutritus educatu." Leg. mai. 5. Rudior certe uxore Gisla et affine Henrico imperatore non fuerit.

Regiis his moribus adversari videtur auctoris sermo plebeius, locutionesque de trivio, quibus sanctissimus filius Emericus non tam institui, quam reprehendi videtur. „Animadvertere poteris, si ea quae paterna pietate tibi praecipio contempseris, quod iam amplius amicus Dei et hominum non eris." prol. „Ne bonum, quod divina clementia per suam immensam misericordiam nobis concessit, per tuam desidiam et pigritiam et negligentiam destruatur." C. 2. „Si tu destruere quae ego aedificavi, aut dissipare, quod ego congregavi, studueris, maxime tuum patietur regnum." 4. „Ora etiam ut desidiam et hebetudinem a te depellat." 9 „Sis pudicus, ut cunctos libidinis foetores sicut stimulum mortis evites." C. 10.

Talia monachi quidem sunt, sermone ad plebem habito vitia acrius insectantis; non vero hominis politi, egregiae indolis iuvenem ad virtutes exercendas cohortantis. Scriptor sane vitae S. Emerici satis antiquus, regi Stephano, filii pietatem et mores optimos, accurate cognitos fuisse testatur. „Quod cum pater eius nosset, caute, imo et occulte per rimam parietis saepe prospiciebat. §. 2. „Rex

sciens pueri praecellens meritum, honorem qui eum decuit, impendit filio.“ 3.

3. Auget suspicionem de authentia libelli, divisionum eiusdem in prologum et capitula anxia, in ipso contextu, dinumeratio. Prol. „His ita perfectis redeamus ad propositum.“ I. In primis praecipio etc. II. Post fidem ecclesia secundum tenet locum. III. Ordo pontificum — in regali dignitate tertii possident locum. IV. Quartus decor regnis est fidelitas etc. V. Patientiae et iudicii observatio quinta regalis coronae ornatio. VI. In hospitibus — tanta inest utilitas, ut digne sexto in loco etc. VII. Consilium sibi septimum vendicat locum. VIII. Executio maiorum — octavum possidet locum. IX. Observatio orationis — nonum in nonaria regiae dignitatis canit regula X. Modus virtutum — in praeceptis ponitur decimus.“ Haec confirmare videntur opinionem viri docti, ad inscriptiones capitum e Legenda maiori excerptas, ipso opere iam non exstante, ab ignoto quodam, longo post Stephanum temporis intervallo, totum hunc tractatum compositum, et ipsi regi suppositum fuisse. Cuius tractatus codex nullus exstat seculo XV-o vetustior.

4. Satis frequens est in hoc libello vocabulum corona, regni, regiae potestatis, vel dignitatis significatione. „Si regalem cupis honestare coronam“ I. Nec hic honeste regnant nec eterno regno vel corona participant. ib. Haec et tu facias, ut et tua corona laudabilior habeatur. II. Tuam gloriosam penitus exaltabis coronam. III. Quinta regalis coronae ornatio. IV. Ut tua corona laudabilis sit et decora. V. Ut tua corona ab omnibus habeatur augusta. VI. Modus virtutum finit coronam regum. X. „Haec omnia superius libata regalem componunt coronam.“ X. De hoc seculi duodecimi vergentis, et decimi tertii incipientis signo, vide Disquisitionem quartam.

5. Auget difficultates supra expositas monitum Stephani regis de iudiciis. „Quotiescunque causa iudicari digna ad te venerit, vel aliquis capitalis sententiae reus — noli per teipsum diiudicare, sed potius huiusmodi negotium ad iudices mitte — time esse iudex etc.“ C. V. Monitum hoc contra morem est, ab ipso rege, dum viveret servatum. Iussit enim latrones „conspectibus suis

praesentari — qui accepta sententia educti sunt etc." Adversus coniuratos „iudicia locutus est." Leg. min. 8—9. De severitate Stephani in iudicando vide Disquisitionem IV-am.

6. Mentio graecorum graecis, non latinis, moribus regendorum (c. VIII.) ultro admonet nos urbis Constantinopolitanae, quae capta a latinis anno 1204. per 57 annos in potestate eorum permanserat.

7. Causam dubitandi de authentia huius libelli praebet Pelbartus, qui in sermone de S. Emerico, sex solum huius paraeneseos capitula recenset; nec eodem, quo in libello nostro ordine leguntur.

„Pater eius rex Stephanus scripserat de hoc sibi legem, in qua primo continebatur de fidei catholicae observantia; secundo de moribus qualiter se habeat; tertio de reverentia personis ecclesiasticis exhibenda; quarto de dilectione principum; quinto de susceptione pauperum, et eorum sustentatione; sexto de defensione iustitiae in regno."

I. Capitulum in utroque codice idem: De fidei catholicae observantia, — De observanda catholica fide.

II. De moribus qualiter se habeat, — forte capitulo decimo respondet, ubi agitur: De pietate, misericordia ceterisque virtutibus.

III. De reverentia personis ecclesiasticis exhibenda; congruit cum tertio: De impendendo honore pontificum.

IV. De dilectione principum — parum differt a quarto: De honore principum et militum.

V. De susceptione pauperum et eorum sustentatione — in vulgatis huius libelli exemplaribus non invenitur. Caput enim sextum non de liberalitate in egenos, sed de hospitibus benigne suscipiendis agit, — propter utilitatem. „In hospitibus et adventiciis viris tanta inest utilitas — inde in primis romanum crevit imperium — hospites diversas linguas et consvetudines et arma secum ducunt, quae omnia regiam ornant et magnificant aulam, et perterritant ceterorum arrogantiam etc."

Mirari licet beatum regem, cuius praecipua laus ex effusa in egenos largitate, in cuius rei signum dextera eius in hodiernum usque diem manet incorrupta, inter cetera minoris momenti ad filium suum mandata, de virtute beneficientiae erga inopes et mendicos,

nullum omnino verbum fecisse. Quod enim sanctus rex capitulo decimo de pietate et misericordia scribit, pertinet ad capitulum secundum de moribus; intelligitque humanitatem et commiserationem sensu proprio: „Pietate suffultus, non solum parentelae et cognatis, vel principibus sive ducibus sive vicinis et incolis sis propitius, verum etiam extraneis etc.“ — „Sis misericors omnibus vim patientibus.“ In toto hoc libello ne mentio quidem eleemosynae occurrit usquam.

VI. De defensione iustitiae in regno — comparari poterit cum capitulo libelli quinto: De observatione iudicii et patientiae.

Praeterieritne consulto Pelbartus cetera huius tractatus capitula, an editionem aliam prae manibus habuerit — quaeritur.

Verisimile est, exemplar illud sex capitulorum, quorum Pelbartus inscriptiones commemorat, in se continuisse etiam ea quae in libello nostro de hospitibus, de consilio, de exemplis maiorum, et de oratione leguntur.

Nisi quis e codicum, qui supersunt huius paraeneseos, eodem, quo Pelbartus vixit, seculo conscriptorum aetate, rationem ducens, concludi posse putet; ad codicem, quinto illo „de susceptione pauperum“ capitulo carentem, quinque alia capitula per sciolum quemdam, ex elencho in Legendae maioris §. 15-o exstante, et in Hartvici Legenda repetito, Pelbarti aetate adficta fuisse.

8. Scriptor huius paraeneseos B. Emericum ducem delicate educatum fuisse innuit, eumque ad severiorem vitae rationem amplectendam cohortatur. „Puer es divitiarum vernula, pulvinaris accola, fotus et educatus in deliciis cunctis. Iam tempus adest in quo tibi non semper pulvinum, mollitiae, quae te hebetem et delicatum reddant adhibendae sunt, sed interdum vis et asperitas tribuenda est.“ Prol. p. 103.

Biographus B. Emerici, quem Pelbartus se legisse scribit, cuius tamen opus hodie desideratur, laudi dat pio duci asperitatem in cultu, et continentiam in victu. „Sic namque legitur de eo: quod fuit rigidus quoad se, pius ad alios; inter multa fercula regalia solo pane quandoque contentabatur. Lecti quoque mollitiem abhorrebat, et licet desuper regium ferret amictum, intus cilicium portabat.“ 2. p. 139.

Meminit etiam continentiae huius Legenda c. 6.: „Ieiuniis corpus maceravit.“ p. 134. et lect. 6. p. 144. Similia leguntur in Breviario recentissimo Romano, inter Officia Sanctorum Hungariae ad diem 5. Novembris: „Ubi eos adolescentiae annos Emericus adtigit, quibus utplurimum ceteri voluptati se dédere, animumque deliciis laxare soliti sunt, ipse mox sensibus et corpori frenum continentiae iniecit, eaque amplexus est, quae iuveniles artus extenuando corpus spiritui subiicerent.“

Legenda vetusta S. ducis, quam hic edidimus, vigilantiam eius praecipue commendat, oppositam pulvino mollitiae, quod pater filio exprobrat. „Modico contentus sopore, per singulas noctes, cunctis se in lecto collocantibus, in psalmis Deo decantandis vigilabat.“ Nec admonitione paterna, ut hoc fieret, opus fuisse ostendit, cum ipsum patrem „caute, imo et occulte per rimam parietis (quid filius ageret) prospicientem“ inducit.

Haec quomodo cum educatione illa delicata paraeneseos componi possint viderint alii; nobis certe mirum videtur, nec in hac sancti Legenda, nec in editionibus Veneta, Cracoviensi, Suriana (apud Schwandtner SS. rer. hung. II. pp. 32—38. ed. 1765.), nequidem in Breviario Romano ullam omnino mentionem monitorum S. Stephani ad filium fieri. Nam quae in nonnullis codicibus prologi loco ponuntur e Legenda Maiore et Hartvico (§. 15, 20.) excerpta et interpolata esse patet e collatione utriusque loci: „Ipse quoque paternae dilectionis amore compunctus etc.“ Ceterum, prologum hunc: „Postquam unigenitus — edisseramus insignia,“ quae in codicibus Lunaelacensi et Tegernsensi omissa sunt, exhibent praeter editiones Venetam et Cracoviensem etiam Lectiones Breviariorum seculi XV-i et XVI-i.

His accedit observatio viri docti, auctorem huius tractatus, exiguam earum rerum, quas tam verbose observandas inculcat, notitiam habuisse. Nam praeter sententias biblicas, vix aliquid per decem haec capitula occurrit, quod mentem lectoris notionum gravitate percellere, animumque ad propositarum virtutum exercitium acrius incitare possit.

Exstabat iam aetate sancti regis similis, sed longior Basilii imperatoris byzantini ad filium Leonem imperii socium tractatus pa-

raeneticus. Operae est adscribere nonnulla harum exhortationum in latinum versa, ut curiosus lector haec nostra regia cum imperatoriis conferre, et utrique merci pretium dicere possit.

Titulus. Basilii imperatoris romanorum exhortationum capita sexaginta sex ad Leonem filium.

Caput II. De fide. Amplectere sinceram in Christum fidem, quae vitae totius initium et fundamentum inconcussum est. Adora Patrem et Filium et Spiritum sanctum Trinitatem consubstantialem indivisam atque inconfusam, unum videlicet ac solum Deum, ac Verbi Dei humana in carne oeconomiam, per quam homines a peccati servitute vindicati sunt, quemadmodum Ecclesiae matris docet institutio. Haec est fides bonorum omnium summa, haec virtutum omnium perfectio. Hanc penes te tamquam depositum inviolabile retineas, qua et ab ipsis incunabulis educatus es, cuius ego ipse tibi magister exstiti. Ne me quaeso amantissimum tui patrem dedecore adficias: sicuti enim pictores corporum lineamenta, ita regum filii quasi vivae imagines, patrum virtutes referre debent.

C. III. De honore sacerdotibus habendo. Sanam habe mentem in iis, quae ad rectae fidei doctrinam pertinent, et summo honore prosequere matrem tuam ecclesiam, quae te in Spiritu sancto lactavit, et tuo capiti ad Dei per Christum laudem imperii coronam mecum imposuit. Si enim quos natura tibi dedit parentes debes revereri; multo magis eos, qui te in spiritu Dei genuerunt, omni pietatis officio colere debes. Illi enim duraturam ad tempus vitam liberis per generationem impertiuntur; isti vero aeternam regenerationem largiuntur. Honora ergo ecclesiam, ut tu vicissim a Deo in honore habeare; et sacerdotes eius reverere tamquam spirituales patres, et deprecatores pro nobis apud Deum. Honor enim qui sacerdotibus habetur ad Deum refertur. Et sicut propter te ministros tuos in honore habere iustum est; ita et propter Deum sacerdotes eius colere atque observare ius fasque est. Quemadmodum autem honor qui eis habetur ad Deum pertinet; ita eorum contumelia et contemtus longe etiam gravius eius iram provocat.

Cap. XVIII. De consilio. Res nulla securior est quam sapiens consilium, nihilque periculosius, quam inconsulto rem ullam adgredi. Ergo ut tuto facias quae vis, velis antea consultare quae

facis. Post factum enim consultandi locus amplius non est. Sed post initam deliberationem, mutare etiam licet consilium. Perpende igitur quorsum res quaeque evadere queat. atque ita demum ad eam adcingere. In consilium autem eos adhibe. qui rebus suis bene consuluerunt, atque eas recte administrarunt; non eos qui per inopiam consilii res suas male gubernarunt; qui enim rebus suis male prospexerit, nunquam bene providebit alienis. Neque vero communica cum imperitis earum rerum de quibus consilium capis. neque cum iis quos adulari tibi senties. Illi enim ut caeci ignoranter tibi consilium dabunt: hi etiam errata tua laudabunt. Sed eos potissimum in consilium adsume, qui et scienter de iis rebus loqui possint. et de tuis erratis confidenter te reprehendere soleant. Illi enim soli digni sunt qui in amicis et consiliariis habeantur. (Anselmi Banduri Imperium Orientale. Pariis 1711. T. I. pp. 171—6.)

Haec operae pretium duximus de auctore huius libelli sine partium studio adducere. Decidere controversiam vix coeptam, nec adhuc serio agitatam, non est nostri instituti. Sitne Institutio morum genuinum opus S. Stephani necne, iudicium huius rei, a me in medio relinquendae, penes lectores esto.

Animadversiones de aetate Legendae B. Emerici ducis, et de vera nominis eius forma.

Ex verbis auctoris, haec potissimum videntur ad aetatem eius determinandam spectare.

„Pannoniae regnum lumen veritatis novissimis temporibus agnovit." (prol.)

Quamquam Stephanus rex titulo Beati honoratus (prol. et §. 3. 4. 8.) sanctorum numero iam adscriptus fuerit, Legenda tamen eius conscripta nondum fuerat, cum auctor opus suum ordiebatur. „Quia eius (b. Stephani) gesta sunt inenarrabilia, nec nostri ingenii congruit parvitati: iustius, et utilius visum est — filii eius beati Emerici etc." (prol.)

Gesta b. Emerici ex auditu narrat, a testibus, ut apparet, oculatis edoctus. „Pauca — quae de gestis eius audivimus, ut non negligentiae deputentur, diligenter referemus.“ (§. 5.) Testes hi ut §. 6-o scribit: „sponsa eius, et familiaris minister, quae viderat et audierat post mortem beati ultra non abscondit.“

Indicia haec ad virum seculo undecimo exeunte scribentem referenda videntur.

Clariorem notam temporis praebet miraculum Conradi loricati §. 8-o narratum; cum cetera, quae ad sepulcrum beati ducis fiebant miracula, scriptis nondum consignata fuissent. „Unum de egregiis miraculis, quod postmodum in diebus nostris pro confessore suo Deus revelare dignatus est, nostrae narrationi assumimus, quamquam in hoc, et in ceteris adeo famosa, sine scripto sint.“ Conradum quemdam male factorum poenitentem, lorica induit, et catenis ligat papa Hildebrandus. (Gregorius VII. 1073—1085.) Ligatus ille cum loca religioni sacra, et sepulcra sanctorum plurima invisisset, solutionem quaerens vinculorum suorum Albam regiam pervenit, „ubi corpus beati Stephani reconditum venerabatur, et in aliis virtus Dei, et intercessio regis eximii crebris miraculis revelabatur.“ Contigit peregrinatio ista Conradi post peractam beatorum Stephani et Emerici anno 1083 canonizationem. Peregrinus iste in somnis monitus, ad sepulcrum b. Emerici accedit, „et cum ibidem provulutus oraret, repente lorica fractis catenis in terram prosiluit.“ Testis huius in diebus auctoris facti miraculi Fabianus praepositus Albensis, nondum archiepiscopus. „Re autem declarata convenientibus clero et populo, ac Fabiano cancellario eiusdem ecclesiae rectore.“ Gesta igitur haec sunt ante annum 1091, quo episcopatus Zagrabiensis constitutus est. Nam eo tempore, ut charta anni 1131 diserte testatur, Fabianus iam archiepiscopus erat. „Strigoniensis ecclesiae primatum Acha gubernante, et Baaciensi archiepiscopo Fabiano existente.“ C. D. I. 484. Quam fundationem anno 1091 contigisse, e compluribus aliis monumentorum indiciis pronum est coniicere.

Observationes hae indicant auctorem Legendae huius intra annos 1083—1091 iam in vivis fuisse. Scriptionem tamen Legendae ante obitum regis Ladislai (1095) coeptam haud fuisse, innuunt ea,

quae eodem §. 8-o leguntur: „Notificaverunt regi Ladislao, qui tunc temporis Pannoniae praefuit.“ Alter nimirum regnabat, cum haec scriberentur.

Mentio Almi ducis Constantinopoli commorantis, ad tempus peregrinationis Ierosolymitanae, quam dux circa annum 1110 peregerat, videtur pertinere. Nec tamen necessario statuendum est, opus hoc ante dictum annum editum non fuisse. Potuit certe auctor rem gestam, cui ipse adfuerat, post viginti annos (1091—1111.) literis mandasse: nisi illud: „aliquando Constantinopoli commoranti“ ad seriora spectare tempora videretur.

Narratio ista de Eusebio Caesareensi animam b. Emerici in coelum ferri conspicientis, simillima est additamento, quae a sciolo quodam operi huic iam edito inserta fuerit. Formula certe: „Nec hoc praetereundum puto“ in memoriam revocat interpolatorem Hartvicum, qui ad narrationem Legendae maioris, somnium nempe Geizae ducis de futuro filio, parum felici commento adiungendum putavit somnium etiam matris de eodem in lucem edendo filio Stephano. Quod additamentum trita hac locutione inducitur: „Nec hoc silentio praetereundum est.“ Differt etiam stilus: nam Stephanus tam in praecedentibus, quam in iis quae sequuntur beatus, semel christianissimus, sanctus nusquam appellatur. Hic vero legitur: „Sancti Stephani primi regis Pannoniae,“ quod ad imitationem sententiae in prologo: „Melliflua providentia beati Stephani primi regis nostri positum esse suspicamur.

Restat ut de prima nominis Hemerici vel Emerici forma pauca disseramus.

Fontes vetustissimi sanctum ducem Heinricum vel Henricum appellant. „Heinricus Stephani regis filius dux Ruizorum in venatione ab apro discissus periit flebiliter mortuus.“ Ann. Hildesh. ad an. 1031. Pertz. SS. III. 98. Adnotationes in Missali seculi 12-i. „1031. Henricus filius Stephani regis obiit.“

Legenda maior §. 15-o „Sanctae indolis virum Heinricum“ nominat, quem Hartvicus in codicibus Pestiensi, Runensi, Vindobonensi et Warsaviensi Henricum scribit. In Vindobonensi tamen vox Henrici puncta, pallidiore atramento, supposita habet, et ad marginem alia manu: Emerici. Codices Lunaelacensis et Tegern-

sensis: H e m e r i c i, — Corsendonckanus vero et Cracoviensis more recentiori: E m e r i c i habent.

Vetustam exhibet scribendi rationem etiam Decretum I. S. Ladislai regis: „Istae vero festivitates feriandae sunt per annum: Nativitas Domini — Omnium sanctorum, sancti H a i n r i c i (5. Nov.) — S. Andreae (30. Nov.)" Endl. Mon. 332. In „Corpore Iuris Hung." iam interpolatum habemus: E m e r i c i D u c i s. H e n r i c u m memorat Kalendarium etiam in Missali seculi 12-i exeuntis: „IV. Non. Sept. Depositio S. H e n r i c i conf. — Non. Novemb. Eleuacio H e n r i c i ducis et confessoris." Kalendaria iam Breviariorum Strigoniensium seculi 16-i hodiernum scribendi morem sequuntur: Depositio E m e r i c i ducis, — Translatio S. E m e r i c i ducis et conf.

Formae: Hemericus, Emericus post regem huius nominis Belae III-i filium (1196—1204.) coeperint usurpari. Hic enim in chartis suis, quotquot nobis inspicere licuit se Hemericum appellat. Inscriptio etiam sigilli eius in charta anni 1202: HEMERICVS DI. GRA. HVNGARIE DALMACIE CROACIE RAMEQ REX. Legitur etiam in alio eiusdem anni 1202. duplici sigillo: HENRIC9 TERCII BELE REGIS FILIVS. Emericus etiam invenitur in autographo quodam huius regis; sed diploma hoc non caret suspicione falsi; non solum quia sigillum pendens H e m e r i c u s habet, sed etiam quia inter regna B u l g a r i a m etiam nominat, quod regibus nostris nondum erat in usu. Charta anni 1198 in Codice Diplomatico Hungariae II. p. 344. H e n r i c u m regem exhibet, cum tamen in autographo H e m e r i c u s legatur. Novum documentum chartas typis editas ad probationes diplomaticas caute adhibendas esse.

Henricum habuit certe primum Legenda etiam Sancti ducis; Hemericus vero et Emericus, quae nunc ibi leguntur a librariis minus accuratis successu temporis fuerunt substituta.

Confirmat hanc opinionem etiam lectio nominis Emerici in carminibus laudes sancti ducis celebrantibus, quod trisyllabum esse debet, ut rythmus versuum constare possit. „Fer Emerice praemium — Sic Emericus iungitur — De Emerici gloria." Carm. 2. „Sic Emericum non offendlt." C. 3. „Per Emerici confessoris." C. 4. „Beatus Emericus — Emericus laetatur — dux Emericus praeditus." C. 5. Legi debet ubique E m r i c u s, potestque substitui forma anti-

qua: Heinricus, vel Henricus. Forma certe hungarica huius nominis Emreh vel Imre lectioni huic favet. In primo tantum hymno Breviarii, et in ultimo Missalis legitur nomen quatuor syllabarum: „Dux Emericus oritur — Crevit puer Emericus" — qui versus prioribus aetate recentiores esse videntur.

Perstat adhuc antiquissimae formae proxime accedens lectio Emricus in Simonis de Keza codice Horányiano. Ne autem nomen S. Ducis, et filii Belae III-i unum idemque fuisse putemus, rex iste in hoc codice Emiricus appellatur.

Sed distinctio haec librarii minus necessaria esse videtur, cum rex ille tam in sigillo superstite, quam in chartis Henricus quoque appelletur. Chronicon Varadiense hac nominis forma utitur: „Rex Henricus filius regis Belae III-i." Ubi Zagrabiense Emericum substituit; sed in continuatione narrationis interpolationis huius oblitus, priorem etiam formam offert: „Rex Ladislaus secundus filius regis Henrici."

Formae Gallicae: Almericus et Aimericus apud exteros potissimum in usu. „Regnante Domino nostro Bela serenissimo rege Hungariae Dalmatiae Chroatiae atque Ramae, et Almerico filio super Dalmatiam et Chroatiam." Petrus archiepiscopus Spalatensis anno 1194. C. D. II. p. 296. „Bela quondam rex Ungariae et carissimus in Christo filius noster Aimericus, qui eidem in regno successit." Innocentius III. 1198. Monum. 6. 87.

Nomen Hemericus tempore regis cognominis in Hungaria iam usitatum: „Cum abbas S. Martini abbatem Symigiensem super praeteritis quibusdam decimis usque ad summam decem marcarum impeteret, et abbas Symigiensis solucionem quibusdam jovbagionibus ecclesiae B. Martini factam esse, Hemerico scilicet et Nicolao in modum exceptionis obiceret." 1210. Mon. 6. p. 103.

ERRATA.

Pagina	1.	lin. penultima:	argentur	—	urgentur.
„	3.	31.	Salamonis M. 2.	—	Salamonis, M. E.
„	40.	23.	post uictis adde	—	ex parte caesis.
„	43.	4.	de struxit	—	destruxit.
„	50.	12.	eius	—	eis.
„	64.	2.	moueri.[2]) eo	—	moueri. eo[2])
„	126.	7.	quod	—	quot.
„	190.	4.	post quaedam adde	—	quae.

Cetera typothetarum commissa, nec tempore a recensente animadversa, humanus lector ipse emendabit.

Quinque-Ecclesiis, 1881. Typis Michaelis Taizs.

susceptus, ad radicem montis ferrei cenobium sub titulo
sancti patris benedicti construxit. ubi usque hodie congregatio
monasterialis disciplina regulari pollens. temporalium
sustentatione copiarum ex donatiuis sancti ducis semper habun
dans. non est alicuius egens. nec ut suos et aliorum pedes secundum euan
gelium cottidianis precibus et lacrimis lauet. Cum iste dei seruus
princeps christianissimus aliquando communiter cum omnibus aliquando
sigillatim cum uno quoque eorum colloquium habens. et tantum
diuinis conspectibus se probabilem reddidit. ut omnes militie suę
comites. ad ueri dei culturam conuerteret. Quos cum alienę uię
sectatores repperit ministerioribus que subiugauit. Ipsosque
secundum ecclesiasticam doctrinam instituens. iugum et legem disci
plinę subpositis ceruicibus adhibuit. omnesque inmunditias ma
lorum prorsus destruxit. Post hec, prouincias in decem partitus
episcopatus. strigoniensem ecclesiam metropolim. et magistram per con
sensum et subscriptionem romanę sedis apostolici ceterarum ecclesiarum
fore constituit. Predictum uero uenerabilem abbatem asc
cum pontificalis dignitatis infula decoratum. electio
ne canonica sublimauit cui et colocensi sedi episcopatui prefecit. consilio ceteras sedes patrum curis
et prouisionibus commisit. Iaciunt ubique sacrorum fundamenta
domorum. surgunt claustra canonicorum. cenobia florescunt
regularium conuersantium congregationum. Undique fit concursus pro
deo famulantium. quorum omnium desiderium tam liberalis prin
ceps exercitauit benigne susceptionis solatium.